MARCI TULLII CICERONIS
Selectiorum Epistolarum ad ductum Rhetoricæ Aristoteléæ resolutarum
DECAS SECUNDA & TERTIA.

Autore

M. CHRISTIANO PAPENIO,
Scholæ Brunsvic. Cathar. ConRectore.



BRUNSVIGÆ,

Typis & Sumptibus CHRISTOPHORI FRIDERICI ZILLIGERI, ANNO 1680.

Philippus Melanchthon
l. II. Rhet.

STudiosi omnes adhortandi sunt, ut quàm plurimum legant Ciceronem, & ab eo primum verba & phrasin mutuentur, deinde consilia ejus in inveniendo & disponendo considerent; postremò totam orationis formam, hoc est, sententiarum ordinem, exornationum copiam atq; modum, quantum ingenio ac studio consequi poterunt, imitari conentur: nec dubitari debet, quin ille noster imitator ex lectione Ciceronis melior, quàm ex aliis autoribus futurus sit.

Humaniorum literarum studioso Lectori S. P. D. *M. Christianus Papenius.*

Liberanda ergò est ex parte aliqua fides isthæc, quam dedisse me anno superiore meministi, de publicandis videlicet Marci Tullii Ciceronis ad ductum Rhetoricæ Aristoteléæ resolutis aliquot epistolis: eâ mente atque consilio, ut resolvendis & è genuinis Rhetoricis principiis eruendis bonorum autorum scriptis maturè insvescat adolescentia provectior; quemadmodum illorum libellis, qui de contexendis epistolis præcipiunt, intellexi haud mediocriter eam adjuvari. Quamvis enim ingenitâ quis etiam naturæ bonitate finem aliquem Rhetorices se consequi posse existimet, ut blandiri fortè, si opus est, hominibus, rem gestam exponere, sententiamc onfirmare suam, adversariam refellere valeat, falletur tamen opinione

suâ longiſſimè, ſi, quod Carneadi placuit, ſolo ingenio fallaciq; ſcribendi conſuetudine niti, artemque contemnere velit, ducem multò certiorem. Diſpicere profectò iſte *ex quibus, quo ordine* & *quomodo* autores dixerint ſcripſerintve, vix ac ne vix quidem poterit: naturam verò ipſam, neglectâ arte, aridam penitus, ſterilem, exſuccam & exſanguem relinquet, alteram ab altera abſurdè nimiùm divellens, cùm tamen intelligentiorum teſtimonio *alterius ſic*

Altera poſcat opem res & conſpiret amicè.

Quemadmodum enim *nonnulli*, ceu rectè judicat Auguſtinus, *licet veram fortè retineant ſententiam, malè tamen ſe contemnunt, quia leges concluſionis ignorant*, ita perverſè etiam dicere conſequentur illi, qui, quod veram dicendi rationem commonſtrat, perverſè repudiaverint. Jam verò nemo vel veterum eſt vel recentiorum, qui τὴν ῥητορικὴν τέχνην acutiore mentis acie adſpexerit, quàm Ariſtoteles, feliciſſimus ille veritatis θηρευτής; nemo, qui via à natura & Ariſtotele fideliter oſtenſa felicius commeaverit, quàm dono quodam providentiæ genitus Marcus Tullius Cicero. Ut adeò, utrum huic, an illi plura debeat eruditus

ditus orbis, forte adhuc sit in ambiguo. Ita in Duumviris illis omnia veluti singula summa reperiuntur. Dignissimus igitur uterq;, quem sibi meritò commendatissimum habeant, quem adsiduè summaq; cum cura & attentione lectitent, quem nunquam de manibus ponant, quem in succum & sanguinem convertant, qui in humaniorum literarum & eloquentiæ studiis aliqui esse cupiunt. Indicantur equidem & in receptis hodie Compendiis Rhetoricis loci, quos vocant, tam Rhetoricæ cum Dialectica communes, quàm Rhetoricæ peculiares; at generalis illa & superficiaria duntaxat locorum *honesti, utilis, jucundi* &c. affectuum item, *iræ, lætitiæ, misericordiæ* &c. indicatio longiùs progressæ juventuti haud suffecerit, nisi accedat accuratior quædam tum ipsorummet locorum, tum singularum, quæ in singulis locis inveniuntur, προτάσεων cognitio, vel, ut liquidiùs dicam, ni ostendatur etiam pariter, quemadmodum ex hac vel illa, hujus vel illius loci, προτάσει, ex hujus vel illius affectus causa, subjecto, objecto, horumque conditionibus à natura & Aristotele indicatis, ex hac vel illa moratæ orationis parte argumenta sua deduxerint probatissimi sapiendi dicendiq; magistri. Cogni-

tis autem ac intellectis propositionibus Aristotelicis, genuinis illis syllogismorum oratoriorum principiis, longè facilior evadet expeditiorque omnis orationum epistolarumque ἐπιδεικτικῶν & scopus & sensus. Quod ingenuè confitetur seculi nostri Varro Gerard. Joh. Vossius lib. 1. instit. orat. c. 3. observ. 5. de vana simul recentiorum quorundam δοξοσοφίᾳ graviter conquerens: *Sanè, inquit, sicuti Aristoteles in Topicis non tantùm locos tradidit ad inveniendum, sed etiam canonas ad judicandum; Ita de his tribus generibus non solùm assignat sedes argumentorum, sed & copiam adducit propositionum, quas in singulis generibus velut in procinctu paratas habeamus. Sed quemadmodum in Logicis contigit, ut nonnulli, quos χθὲς & πρώην novitatis studium infatuaverat, locos tantummodò docerent, regulis, quas Maximas vocant, insuper habitis: itidem pleriq; omnes veterum ac recentiorum ὑποφήτῶν hanc Rhetoricam mutilatè docuerunt, præteritâ illâ amplissimâ canonum ac propositionum doctrinâ.*

Exercendæ igitur his in studiis adolescentiæ adultioris causâ, non intermittimus, in interpretatione bonorum autorum, de In-

ven-

ventione, de præcipuis locorum & affectuum propositionibus, de sermonibus moratis, de dispositione item & elocutione, utriusque partibus & virtutibus, fideliter eam pro parte nostra admonere, quando & nonnulla, quæ opus videntur esse, dictamus syllabatim, nonnulla verò & longè fortè plura viva voce cum ea communicamus; atque id parili, quâ typis excusa hæc analysis conspicitur, methodo, daturi σὺν Θεῷ proxima occasione Tullio nostro similiter vestitum ipsum Cornelium Nepotem. Nam quæ ad Isocratis commentati orationes aliquot, sumus, nuper etiam luci publicæ polliciti, cùm & idiomate, & argumento & stylo à Tullianis hisce epistolis dissideant Isocratica plurimùm, facile patieris, confido, humanissime lector, seorsum illa in publicum prodire: precaturus interim, ut, si tibi præsentibus uti commodum fortè non est, saltem opis indiga juventus ex hisce nostris fructum aliquem ferat. Quod nec alienum est ab humanitate tua, & mihi studiosisque humanitatis omnibus longè gratissimum.

De non observata temporis serie in collocandis hisce epistolis, fortè non erit, ut in-

telligentibus excusem me nimium, quando & Siberiana epistolarum Tullii editio, & ipsius Tullii historia à Francisco Fabricio Marcodurano collecta & emissa hac in re cuivis cumulatè poterunt satisfacere; mihi vero propositum nunc quidem fuit aliud, unum duntaxat investigare & adolescentiæ monstrare, quod in Cicerone præ reliquis admirabile est, artificium Rhetoricum. Optimè vale, Lector, & salve plurimùm. Brunsvigæ IV. Id. Septembr. Anno M.DC.LXXIX.



Quod

Quod nova jam veste facis decorum
Tullium, frigente favore secli,
Et bonis prodesse cupis benignus,
Docte Papeni,

Gratias magnas referent Camœnæ,
Clara dum cœlum vehet astra, nomen
Ac aget penna metuente solvi
Fama superstes.

Quippe quid quæso melius, ruentis
Seculi jam moribus, afferemus
Publicis rebus, studia ac juvare
Rite juventæ?

Ergò sic docto calamo atque voce
Perge prodesse Aoniæ catervæ.
Annuat votis Deus, & secundet
Usq; labores.

Sinceri affectus testificandi
ergò f.

M. Johannes Möringius,
apud Br. R. Martin.

Ad Clarissimum Papenium
Collegam honoratissimum,

CUm deesset, thalami pareret quæ pignora, conjux,
En peperit natos Bibliotheca tibi.
Nunc, ut connubio stabili tibi juncta virago est,
Jam natis natos addet & ipsa suos.

Sic

Sic geminâ genetrice tibi geminus quoque fœtus
Surget, & æternùm non moriturus honos.

Quod
vov.
ex animo

M. Johannes Alerus,
Rector Cathar.

Epigramma
Ad scholasticam juventutem.

PAPENIO multum debes studiosa Juventus,
Qui te prudenter Rhetoricâ arte docet,
Qua ratione Tibi Ciceronis epistola lecta
Rite resolvenda, ac enucleanda fiet.
O studiosa cohors, Latii studiosa Leporis,
Huc ades, hunc hilari perlege fronte librum.

Petrus Crügerus,
C. M.

Ad

Ad Dn. Autorem,

Meum quondam optimæ notæ olim Discipulum, nunc Successorem dignissimum.

Papenius.

ἀναγ.

En Appius.

PApenides dilecte, quem te prædicem?
En, voce dixerim, tu es alter Appius.
Ut Appius docebat Oratoria
Romæ, ad modum hunc tu Tulisurgii doces
Ipsius Aristotelis, gravisq; Tullii,
Magniq; Schraderi premens vestigia.
Loqvuntur id, quæ scripta tute publicas.
Ora, juventa, pro Papenio tuo,
Eiq; vitam comprecare Nestoris.

Johannes Caspar Grünewald/
ConR. emeritus, annum agens septuagesimum secundum.

M. T.

M. T. C. L. Planco S. P. D.

(ep. 29. l. 13. vulg. edit.)

I.

NOn dubito, quin scias, in his necessariis, qui tibi à patre relicti sunt, me tibi esse vel conjunctissimum, non his modò causis, quæ speciem habent magnæ conjunctionis, sed iis etiam, quæ familiaritate, & consuetudine tenentur: quam scis mihi jucundissimam cum patre tuo & summam fuisse. Ab his initiis noster in te amor profectus auxit paternam necessitudinem, & eò magis, quòd intellexi, ut primùm per ætatem judicium facere potueris, quanti quisq; tibi faciendus esset, meà te in primis cæptum esse observari, coli, diligi. Accedebat non mediocre vinculum cùm studiorum, quod ipsum est per se grave, tum eorum studiorum, earumq; artium, quæ per se ipsæ eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate devinciunt. Expectare te arbitror, hæc tam longè repetita principia quò spectent. Id primum ergo habeto, non sine magna, justaq; causa hanc à me commemorationem esse factam. Cajo Atteio Capitone utor familiarissimè. Notæ tibi sunt varietates meorum temporum: in omni genere & honorum, & laborum meorum, & animus, & opera, & autoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præsto fuit, & paruit

paruit & temporibus, & fortunæ meæ. Hujus propinquus fuit T. Antistius: qui cùm forte quæstor Macedoniam obtineret, neq; ei successum esset, Pompeius in eam provinciam cum exercitu venit: facere Antistius nihil potuit. Nam si potuisset, nihil ei fuisset antiquius, quàm ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reverti, præsertim cùm sciret, quanti is Cæsarem faceret, semperq; fecisset. Sed oppressus tantum attigit negotii, quantum recusare non potuit. Cùm signaretur argentum Apolloniæ, non possum dicere eum præfuisse, neque possum negare eum affuisse, sed non plus duobus, aut tribus mensibus. Deinde abfuit à castris: fugit omne negotium: hoc mihi, ut testi, velim credas: meam enim ille mœstitiam in illo bello videbat, mecum omnia communicabat. Itaq; abdidit se in intimam Macedoniam, quo potuit longißimè à castris, non modò, ut non præesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem. Is post prælium se ad hominem necessarium Aulum Plancium in Bithyniam contulit. Ibi eum Cæsar cùm vidisset, nihil asperè, nihil acerbè dixit: Romam jußit venire. Ille in morbum continuò incidit: ex quo nunc convaluit. Aeger Corcyram venit: ibi est mortuus. Testamento, quod Romæ Paulo & Marcello consulibus fecerat, hæres ex parte dimidia, & tertia est Capito: in sextante sunt ii, quorum pars sine ulla cujusquam querela publica potest esse: ea est ad HS. XXX. Sed de hoc Cæsar viderit,

rit. Te mi Plance, pro paterna necessitudine, pro nostro amore, pro studiis, & omni cursu nostro totius vitæ simillimo, rogo, & à te ita peto, ut majore cura, majore studio non possim, ut hanc rem suscipias, meam putes esse: enitare, contendas, efficias, ut mea commendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio hæreditatem propinqui sui C. Capito obtineat. Omnia quæ potuissem in hac summa gratia tua, ac potentia à te impetrare, ultrò te ad me detulisse putabo, si hanc rem impetravero. Illud fore tibi adjumento spero, cujus ipse Cæsar esse optimus judex potest: semper Cæsarem Capito & dilexit, & coluit. Sed ipse hujus rei testis est: novi hominis memoriam. Itaque te nihil doceo: tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties. Ego quod in me ipso experiri potui, ad te deferam: in eo quantum sit ponderis, tu videbis. Quam partem in re publica, causamq; defenderim, per quos homines ordinesq; steterim, quibusq; munitus fuerim, non ignoras. Hoc mihi velim credas: si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris voluntate, quod intellexerim scire ipsum Cæsarem, me invitissimum fecisse, id feci aliorum consilio, hortatu, autoritate: quod fuerim moderatior, temperatiorq; quam in ea parte quisquam, id me fecisse maximè autoritate Capitonis. Cujus similes si reliquos necessarios habuissem, reipublica fortasse nonnihil, mihi certè plurimum profuissem. Hanc rem mi Plance, si effeceris,

ris, meam de tua erga me benevolentia spem confirmaveris, ipsumq; Capitonem gratissimum, officiosissimum, optimum virum, ad tuam necessitudinem, tuo summo beneficio adjunxeris, Vale.

Analysis Rhetorica.

UT prudentiæ plenissima hæc est epistola, ita Rhetorici habet artificii plurimum. Etenim Plancus à Pompejo ad Cæsarem defecerat, eaque propter benevolo in eum esse animo non poterat Cicero, ita tamen semetipsum hic vincit, ut Capitonis in cernenda T. Antistii hæreditate causam, quæ teneri sine Cæsaris indultu nequibat, Planco Cæsaris familiari religiosè commendet.

Adverte ergo ad hanc conclusionem:

Commendo tibi, Mi Plance, Capitonem pro adeunda Antistii hæreditate, ei sis præstò operâ, consilio, re.

Jam circumspicies, unde deducta sint persuasionis argumenta. Nôsti autem in commendatitio literarum genere argumenta δεικτικὰ, ἠθικὰ & παθητικὰ peti partim *à personis* (nostrâ, ejus, qui commendatur, ejus, cui

quem

quem vel aliquam rem commendamus) partim *à rebus ipsis*.

A Persona Ciceronis commendantis hæc videbis promanare, deducta ex amicitiæ partibus ἑταιρεία καὶ οἰκειότητι, *sodalitate & necessitudine*, 2. Rhet. 4. §. 36.

In iis necessariis, qui tibi à patre relicti sunt; ego tibi sum conjunctissimus &c. Jucundissima mihi cum patre tuo & summa fuit consuetudo &c. Meus amor auxit paternam necessitudinem &c.

Ex 2. Rhet. c. 4. §. 24. καὶ τοὺς πρὸς αὐτοὺς σπουδαίως πως ἔχοντας· οἷον θαυμάζοντας αὐτοὺς &c. *Amamus studiosos nostri, ut eos, qui nos admirantur &c.* derivata sunt hæc:

Intellexi, ut primum, per ætatem judicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset, me à te inprimis cœptum esse observari, coli, diligi.

Ex. 2. Rhet. c. 4. §. 26. καὶ τοὺς ὁμοίους, καὶ ταὐτὰ ἐπιτηδεύοντας, ἂν μὴ παρενοχλῶσι, μηδὲ ἀπὸ ταυτοῦ ᾖ ὁ βίος. *Amant quisque similes sui, & iisdem studiis deditos, nisi eorum alteri alter obstet, & nisi sibi ex eodem studio victum quærant*, fluunt hæc:

Accedebat non mediocre vinculum cum studiorum, quod ipsum per se est grave, tum eorum studiorum, earumque artium, quæ per se

 ipsa

ipsæ eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate devinciunt.

Spirant hæc omnia ἦθ☉ Ciceronis, & concluditur inde: *Ego tibi sum amicus.*

Mores etiam Ciceronis indicant, quæ habentur sub finè ferè epistolæ.

Ego, quod in me ipso experiri potui, ad te deferam, in eo quantum sit ponderis, tu videbis. Quam partem in Rep. causamq́ defenderim; per quos homines ordinesq́ steterim, quibusq́ munitus fuerim, non ignoras.

Remotio criminis est, quando dicit, *si quid fortè hoc ipso in bello minus ex Cæsaris voluntate fecisset, id invitissimum se fecisse, & fecisse aliorum consilio, hortatu, autoritate.* Voss. Inst. Orat. l. 1. c. 9.

Quæ à persona *Capitonis commendati ejusq́ propinqui Antistii* derivantur, eorum principia Aristotelica sunt hæc:

2. Rh. c. 4. §. 16. τὰς ἡδεῖς συνδιαγαγεῖν καὶ συνδιημερεῦσαι. *Amamus eos, quorum convictus & consuetudo suavis est.*

Cajo Atteio Capitone utor familiarissimè.

2. Rh. c. 4. §. 8. καὶ τοὺς πεποιηκότας εὖ, φιλοῦσιν ἢ αὐτοὺς, ἢ ὧν κήδονται, ἢ εἰ μεγάλα, ἢ εἰ προθύμως, ἢ ἐν τοιούτοις καιροῖς, καὶ αὐτῶν ἕνεκα. *Amant eos, qui aut ipsis, aut iis, quos ipsi caros habent, beneficia tribuerunt, aut magna, aut promto atq́*

alacri

alacri animo, aut certis quibusdam temporibus, idq; ipsorum causa.

Capitonis animus, opera, autoritas, gratia, etiam res familiaris præstò fuit in omni genere & honorum & laborum meorum. Paruit & temporibus & fortuna mea.

His subjungit prolixam & adductis circumstantiis dilatatam explicationem Antistii in Macedonia muneris, Antistii mortis, & quæ morte ejus ad Capitonem venerat, hæreditatis,

Hinc laudatur Capitonis prudentia ex I. Rh. c. 9. §. 6. & 21. Τὰ τῇ φύσει ἀγαθά. *Quæ bona sunt naturâ.*

Suasit mihi Capito pro singulari circumspectione sua, ut quàm minimum possem, Cæsarem offenderem. Quod igitur fuerim moderatior temperatiorq;, quàm in ea parte quisquam, id feci maximè autoritate Capitonis, cujus similes si reliquos necessarios habuissem, Reip. fortasse nonnihil, mihi certè plurimum profuissem.

Postremo Capitonis *gratum* erga Plancum *animum* testificatur sub finem epistolæ ex 2. Rhet. c. 7. §. 2. 3. Ἡ τῶν μεγάλων. *Magna gratia si magna beneficia.*

Hanc rem si effeceris, ipsum Capitonem gratissimum, officiosissimum, optimum virum ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio adjunxeris. Atque hæc à persona commendati.

A re ipsa autem *effectu facili* argumentatur hunc in modum 1. Rh. c. 6. §. 35. 36. τὰ ῥᾳδίως γιγνόμενα. *Quæ facile fieri possunt.*

Tu vales & gratiâ & potentiâ apud Cæsarem. Illud fore tibi adjumento, spero, cujus ipse Cæsar optimus judex esse potest: semper Cæsarem Capito & dilexit & coluit. Sed ipse hujus rei testis est.

Conclusio. *Quare te, Mi Plance, pro paterna necessitudine, pro nostro amore, &c. rogo, & à te peto, ut efficias, ut hæreditatem propinqui sui C. Capito obtineat.*

Elocutio duabus ab Aristotele 3. Rhet. c. 2. §. 1. & seq. præcipuè laudatis virtutibus decora est, *perspicuitate videlicet & decenti ornatu.* Perspicuitatem deprehendes ex verbis magnam partem propriis & usitatis: decentem ornatum ex tropis, schematibus & compositionis genere. Translationes enim *vinculum studiorum devinit animos, asperè acerbeq; dicere, pondus, stare, munitum esse &c.* schemata item ut synonymiæ, *observari, coli, diligi, eniti, contendere, efficere*, *polysyndeta*, ὁμοιόπτωτα,

ὁμοι-

ὁμοιοτέλευτα, πολύπτωτα anaphoræ, revocatio &c. haud mediocriter dictionem ornant. Dictio εἰρμένη, interdum est, interdum κατεστραμμένη: interdum etiam membratim procedit. Dictio citra orbem continuata, & membra extra periodos facilè cognoſcuntur. Periodi maximè conſpicuæ ſunt iſtæ:

Quicum ſorte — *venit.* Trimembris, protaſin habens duorum, & apodoſin membri unius.

Nam ſi potuiſſet — *reverti.* Trimembris itidem.

Sed oppreſſus — *non potuit.* Bimembris.

Cùm ſignaretur — *menſibus.* Quadrimembris ſolutior & quodammodo ſine nexibus, habens λέξιν ἀνειμένην.

Ego quod in — *videbis.* Duæ μονόκωλοι.

Tantum tibi ſumito — *ſenties.* Bimembris ſine breviori.

Quam partem — *ignoras.* Quadrimembris.

Si quid fecerim — *autoritate.* Trimembris clauſa ditrochæo.

Quod fuerim — *Capitonis.* Trimembris pariter.

Cujus similes — *profuissem.* Bimembris sine longiori, terminata ditrochæo.

Hanc rem — *adjunxeris.* τέλεως ἑνιος.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D.

(ep. 16. l. 11.)

II.

PErmagni interest, quo tibi hac tempore epistola reddita sit, utrum cùm solicitudinis aliquid haberes, an cùm ab omni molestia vacuus esses. Itaque ei præcepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistolæ tibi reddendæ. Nam quemadmodum coràm, qui ad nos intempestivè adeunt, molesti sæpe sunt: sic epistolæ offendunt, non loco redditæ. Si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit: & ille, cui mandavi, satis scitè, & commodè tempus ad te cepit adeundi: confido, me, quod velim, à te facilè impetraturum. L. Lamia præturam petit. Hoc ego utor uno omnium plurimum. Magna vetustas, magna consuetudo intercedit: quodq; plurimum valet, nihil mihi ejus est familiaritate jucundius. Magno prætereà beneficio ejus, magnoq; merito sum obligatus. Nam Clodianis temporibus, cùm sequestris ordinis princeps esset,

esset, proq; mea salute acerrimè propugnaret, à Gabinio consule relegatus est: quod ante id tempus civi Romano Roma contigit nemini. Hoc cum populus Rom. meminerit, meipsum non meminisse turpissimum est. Quapropter persuade tibi mi Brute, me petere praturam. Quanquam enim Lamia summo splendore, summa gratia est usus magnificentissimo munere adilitio: tamen quasi ea ita non essent, ego suscepi totum negotium. Nunc si me tanti facis, quanti certè facis, quando equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Non tenebo te pluribus: ponam in extremo, quod sentio. Nihil est Brute, cùm omnia à te expectem, quod mihi gratius facere possis. Vale.

Analysis Rhetorica.

Commendat Cicero L. Ælium Lamiam Bruto amico suo, ut eum adjuvet in petitione præturæ.

L. Lamia Præturam petit, juva eum, ut illam consequatur.

1. Argumentum ἠθικὸν est, partim *benevolentiam* captans, cùm diligenter se cavisse significat, ne literis intempestivè redditis molestiam ei afferret, partim *prudentiam* spirans, cum

cum γνωμικῶς loquitur, videlicet de τῷ κρεῖττον γινώσκειν in re qualibet agenda.

2. Est παθητικὸν, affectum *amoris* ciens in Bruto erga Lamiam, è 2. Rh. 4. §. 36. ἑταιρεία, *sodalitas, pars amicitiæ.*

Lamia utor omnium plurimùm, magna vetustas, magna consuetudo intercedit.

3. è 2. Rhet. 4. §. 16. φιλοῦμεν τοὺς ἡδεῖς συνδιαγαγεῖν καὶ συνδιαμερεῦσαι. *Amamus illos, quorum convictus at consuetudo suavis est. Nihil mihi ejus familiaritate jucundius.*

4. è. 2. Rhet. 4. §. 8. φιλοῦμεν τοὺς πεποιηκότας εὖ. *Amamus eos, qui beneficia tribuerunt.*

Magno beneficio ejus, magnoq́; merito sum obligatus.

5. Affectum *misericordiæ* erga eum movet, ostendendo, *indignum eum tali sorte esse*, è. 2. Rh. 8. §. 17. 33.

Clodianis temporibus cum equestris ordinis princeps esset, proq́; mea salute acerrimè propugnaret, à Gabinio consule relegatus est; quod ante id tempus civi Romano Romæ contigit nemini.

6. In se ipso *pudorem* excitat, è 2. Rh. c. 6. §. 5. τὸ ἀπὸ κακίας ἔργον. & 2. Rh. c. 23. §. 14. ἐκ τοῦ ἥττον.

Hoc cùm populus R. meminerit, me ipsum non meminisse turpissimum est.

Jàm

Jam repetit epistolæ conclusionem: *persuade tibi, me petere Præturam*, & post insertam *moratam* orationem affert

7. Argumentum λογικὸν, à *facili* desumtum, è. I. Rhet. c. 6. §. 36.

Facile eum juvare poteris, cùm equitum centurias h. e. centuriarum suffragia, *teneas, in quibus regnas &c.*

E. juva eum: Nihil est, Brute, cùm omnia à te exspectem, quod mihi gratius facere possis.

Elocutio valdè est κατεσκευασμένη.

Permagni — vacuus esses. τετράκωλος periodus γνωμολογικὴ, ornata λέξει αὐξανομένῃ.

Itaq; — reddendæ. Τετράκωλος solutior, & antecedenti dissimilis.

Nam quemadmodum — reddita. Δίκωλος βραχύκωλος γνωμολογική.

Si autem — impetraturum. Τετράκωλος cujus πρότασις duorum & ἀπόδοσις unius est membri.

L. Lamia — petit. κῶλον ὀρθόν.

Hoc ego — plurimum. κῶλον ὀρθόν.

Magna vetustas — intercedit. Periodus μονόκωλος, ex qua fit membrum rectum hoc modo: *magna vetustas & consuetudo inter-*

tercedit. Ἀναφορὰ orationem acriorem reddit.

Magno praeterea — obligatus. Μονόκωλον.

Nam Clodianis — relegatus est. Periodus τρίκωλος, cujus ἀπόδοσις absolvitur verbis: *à Gabinio Consule relegatus est*, cui annectitur membrum; *quod ante — nemini.*

Hoc cum — turpissimum est. Δίκωλος ἰσόκωλος πολυπτώτῳ decora.

Quanquam enim — negotium. Τρίκωλος metaphorâ & polyptoto insignis.

Nunc si — conficiat. Περίοδος constans membris brevioribus: ἀναφορὰ & metaphora orationem faciunt venustam.

Nihil est — possis. Τρίκωλος.

M. T. C. Sulpitio S. P. D.
(ep. 19. l. 13.)

III.

CUm Lysone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus; quam ego necessitudinem sanctè colendam puto: sed ea causa etiam cum aliis compluribus: familiaritas tanta nullo cum hospite, & ea cùm

cùm officiis ejus multis, tum etiam consuetudine quodidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra conjunctius. Is cùm Romæ annum propè ita fuisset, ut mecum viveret, etsi eramus in magna spe te meis literis, commendationeq; diligentissimè facturum id, quod fecisti, ut ejus rem, & fortunas absentis tuerêre: tamen quòd in unius potestate erant omnia, & quòd Lyso fuerat in nostra causa, nostrisq; præsidiis, quotidie aliquid timebamus. Effectum tamen est & ipsius splendore, & nostro reliquorumq; hospitum studio, ut omnia, quæ vellemus, à Cæsare impetrarentur: quod intelliges ex iis literis, quas Cæsar ad te dedit. Nunc non modò non remittimus tibi aliquid ex nostra commendatione, quasi adepti jam omnia: sed eo vehementius à te contendimus, ut Lysonem in fidem, necessitudinemq; tuam recipias. Cujus dubia fortuna timidius tecum agebamus, verentes ne quid accideret ejusmodi, ut ne tu quidem mederi posses. Explorata verò ejus incolumitate, omnia à te studia summa cura peto. Quæ ne singula enumerem, totam tibi domum commendo. In his adolescentem filium ejus, quem C. Memmius Gemellus cliens meus, cum in calamitate exilii sui Patrensis civis factus esset, Patrensium legibus adoptavit, ut ejus ipsius hæreditatis jus, caussamq; tueare. Caput illud est, ut Lysonem, quem ego virum optimum, gratissimumq; cognovi, recipias in necessitudinem tuam. Quod si feceris, non dubito,

quin

quin postea in eo diligendo, caeterisq; commendando, idem quod ego, sis judicii, & voluntatis habiturus. Quod cùm fieri vehementer studeo, tum etiam illud vereor, ne si minus cumulatè videberis fecisse aliquid ejus causa, me ille negligenter scripsisse de se putet, non te oblitum mei. Quanti enim me faceres, cùm ex sermonibus quotidianis meis, tum ex epistolis etiam tuis potui cognoscere, Vale.

Analysis Rhetorica.

Commendat hac epistolâ Cicero Lysonem, ejusque domum Sulpicio, amico suo, eumque rogat, ut *in fidem & necessitudinem commendatum recipiat.*

Argumenta *Confirmationis* sunt hæc:

1. *Lyso est necessarius & familiaris meus.* 2. Rh. c. 4. §. 36. οἰκειότης, ἑταιρεία.
   Cum Lysone Patrensi est mihi, usque ad, *conjunctius.*
2. *Lyso est apud Cæsarem ingratia* 2. Rh. 5. §. 34. τὰ φοβερὰ μὴ ὄντα. *Quæ terrendi vim habent, nulla sunt.*
   Non est, quod Cæsarem metuas, & propterea eum ad amicitiam tuam adjungere recuses: nam Cæsar favet Lysoni.
3. *Ex Inspectione temporis.* Ἐκ τοῦ τὸν χρόνον σκοπεῖν. 2. Rh. 23. §. 20.

Olim

3. *Olim juvare eum non intermisisses, cùm dubia ejus esset fortuna, cur ergo jam explorata ejus incolumitate præsto ei esse abnues?*

4. *Lyso est vir optimus.* 1. Rh. 9. §. 21.

5. *Lyso est vir gratissimus.* 2. Rh. 7. §. 2.

Atque horum duorum argumentorum medii duntaxat comparent termini absque dilatatione.

6. Est ἠθικὸν à persona Sulpitii.

Non dubito, quin in Lysone diligendo ceterisq́ commendando, idem, quod ego, sis judicii & voluntatis habiturus.

Elocutio admodum est ornata, habens quippe verba ex usitatis selecta, & periodis non tantùm, sed & comprehensionibus periodos περικώλους excedentibus, quas περιβολὰς vocant, aptè concinnata.

Cum Lysone — *conjunctius.* Περιβολή.
Is cùm — *timebamus.* Περιβολή πολύπτωτῳ decorata.

Effectum tamen — *impetrarentur.* Periodus δίκωλος βραχύκωλος, metaphora & polysyndeto gaudens.

Quod intelliges — *dedit.* Δίκωλος βραχύκωλος.

Nunc

Nunc non modò — *recipias.* Τετράκωλος.

Cujus dubia — *Peto.* Περιβολὴ αὐξήσει insignita.

Quæ ne singula — *commendo.* Δίκωλος ἰσόκωλος, cui per ἐπισύναψιν annectitur oratio εἰρομένη usque ad *tueare.*

Caput — *necessitudinem tuam.* Δίκωλος μακρόκωλος, cujus ἀπόδοσις longam habet ἐπεμβολήν.

Quodsi — *habiturus.* Δίκωλος itidem μακρόκωλος.

Quod cùm fieri — *oblitum mei.* Περίοδικόν.

Quanti enim — *cognoscere.* Τρίκωλος.

Cicero Imp. S. D. Cœlio ædili cur.

(ep. 14. l. 2.)

IV.

Marco Fabio, viro optimo, & homine doctissimo, familiarissimè utor; mirificeq́ eum diligo, cum propter summum ejus ingenium summamque doctrinam, tum propter singula-

gularem modestiam. Ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. Novi ego vos magnos patronos, hominem occidat oportet, qui vestra opera uti velit. Sed in hoc homine nullam accipio excusationem. Omnia relinques, si me amabis, cum tua opera Fabius uti volet. Ego res Romanas vehementer exspecto, & desidero: inprimisque, quid agas, scire cupio: nam jamdiu propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur. Vale.

Analysis Rhetorica.

Epistolium hoc est generis deliberativi commendatitium. Status in eo est hujusmodi: *Suscipias, mi Cæli, Marci Fabii negotium.*

Ut hanc propositionem Cœlio persuadeat utitur argumentis.

1 In persona commendati latent hæc: *Fabius est vir optimus, doctissimus, summo ingenio, summa doctrina, singularique modestia praditus.* Ergo suscipe ejus negotium. Vide Arist. Lib. 1. cap. 9. §. 8. Hæc sunt instar τῶν λόγων.

Argumentum Ethicum est: *familiarissime eo utor mirificeque eum diligo.* Vid. Arist. L. 2. cap. 4. §. 16. Τὰς ἡδέως συνδιαγαγεῖν καὶ συν-

ϰὴ συνδιημερεῦσαι. *Amamus eos, quorum convictus & consuetudo suavis est.*

Ethicum argumentum etiam eſt, quando Cœlii amicos vocat *magnos patronos*, quod quidem, ut ut jocus eſt, tamen ad *benevolentiam* conciliandam facit. 2. Rh. 4. §. 17. *Amamus eos, in quibus ineſt dexteritas ad jocandum in alios.*

Omnia relinques jam iterum repetit conclusionem aliis tamen verbis.

Sub finem petit, ut ſe de rebus Romanis certiorem faciat.

De Elocutione.

EPiſtola hæc eſt Latinisſima maximeque perſpicua; Latiniſſima quia Ciceronem habet autorem aurei Latinitatis ævi ſcriptorem, 2. quia convenit cum regulis Grammaticis, tertio, quia conformis eſt conſuetudini loquendi aliorum claſſicorum autorum. Maxime perſpicua eſt, quia verbis gaudet propriis & uſitatis.

Dignitas & compoſitio ex inſpectione periodorum patebit.

Marca

Marco Fabio — *modestiam.* Incipit hæc λέξις ab oratione εἰρομένη & desinit in periodo δικώλῳ.

Ejus negotium — *res mea,* Periodus δίκωλος βραχύκωλος.

Novi ego — *velit,* Oratio jugis, naturalis, habens hyperbolen.

Sed in hoc — *excusationem.* Membrum extra periodum.

Omnia — *uti volet.* Periodus δίκωλος.

Ego res — *afferebatur,* Oratio jugis.

M. T. C. P. Vatinio Imper. S. P. D.

(ep. 11. l. 5.)

V.

GRata tibi esse officia mea non miror: cognovi enim te gratissimum omnium: idq; nunquam destiti prædicare. Nec enim tu mihi gratiam modo habuisti, verùm etiam cumulatissimè retulisti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me studio erga te, & eadem voluntate cognosces. Quòd mihi fœminam primariam Pompeiam uxo-

rem tuam commendas, cum Sura nostro, statim tuis literis lectis; locutus sum, ut ei meis verbis diceret, ut quicquid opus esset, mihi denunciaret: me omnia, quæ ea vellet, summo studio, curaq; facturum: itaq; faciam, eamq;, si opus esse videbitur, ipse conveniam. Tu tamen ei velim scribas, ut nullam rem neq; tam magnam, neq; tam parvam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parum me digna videatur. Omnia quæ in tuis rebus agam, & non loboriosa mihi, & honesta videbuntur. De Dionysio (si me amas) confice: quamcunq; ei fidem dederis, præstabo. Si verò improbus fuerit, ut est, duces eum captivum in triumpho. Dalmatis dii malè faciant, qui tibi molesti sunt: Sed ut scribis, brevi capientur, & illustrabunt res tuas gestas: semper enim habiti sunt bellicosi. Vale.

Analysis Rhetorica.

EPistola hæc est generis deliberativi responsoria: Respondet enim Vatinii literis, se in omni re uxori ejus præsto futurum.

Exordium est valde ἠθικὸν, laudat enim ejus gratum animum, suaque studia ei pollicetur.

Propositio est:

Ego præsto futurus sum uxori tuæ.

Argumenta confirmationis sunt: 1. Quia id

id jam Suræ nostro mandavi, ut studia mea & officia uxori tuæ offerret. Ex definitione *amoris* 2. Rh. 4. §. 2.

Secundo, â *facili*, quia quæ in rebus tuis ago; *factu sunt facilia*, vid. Arist. 1. Rh. c. 6. §. 36. *Factu facilia sunt quacunque aut sine molestia aut brevi tempore fiunt.*

Tertio *ab honesto.* Quia quæ in tuis rebus agam, *honesta* mihi videbuntur. 1. Rh. 9. §. 5, & 6.

Sub finem epistolæ rogat eum de Dionysio servo, & Dalmatis imprecatur, promittitq; de illis Ciceroni victoriam. *Victoria autem & honos in rebus pulchris sunt.* Vid. Arist. Lib. 1. Rhet. cap. 9. §. 31.

De Elocutione.

Grata tibi — *prædicare.* Sunt tria membra cirra periodum, ornata πολυπτώτῳ, ultimum clausum est ditrochæo.

Nec enim — *retulisti.* Est periodus bimembris ornata ὁμοιοτελεύτῳ

Quamobrem — *cognosces.* Est membrum funis instar extentum.

Quod mihi — *conveniam.* Oratio incipiens â periodica & desinens in εἰρομένην, ornata ὁμοιοτελεύτῳ & πολυπτώτῳ.

Tu tamen — *videatur.* Periodus τε-κῶλος ἄνισος habens λέξιν ἀντικειμένην.

Omnia — *videbuntur.* Periodus τε-κῶλος brevium membrorum.

De Dionysio — *bellicosi.* Oratio περιόδων.

Si verò improbus — *triumpho.* Δίκωλος.

M. T. C. M. Licinio P. Filio Crasso S. P. D

(ep. 8. l. 5.)

VI.

QUantum meum studium extiterit dignitatis tuæ vel tuendæ, vel etiam augendæ, non dubito, quin ad te omnes tui perscripserint. Non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut ejusmodi, quod silentiò possit præteriri. Nam & cum consulibus, & cùm multis consularibus tanta contentione decertavi, quanta nunquam antea ulla in causâ: suscepiq; mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis, veteriq; nostræ necessitudini jam diu debitum, sed multa varietate temporum interruptum officium cumulatè reddidi. Neq; meher-cule unquam mihi tui, aut colendi, aut ornandi voluntas defuit: sed quædam pestes hominum laude aliena dolentium, & te nonnunquam à me alienarunt, & me

& me aliquando immutarunt tibi. Sed extitit tempus optatum mihi magis, quàm speratum, ut florentissimis tuis rebus, mea perspici posset & memoria nostræ voluntatis, & amicitiæ fides. Sum enim consecutus non modò ut domus tua tota, sed ut cuncta civitas me tibi amicissimum esse cognosceret. Itaque & præstantissima omnium fœminarum uxor tua, & eximia pietate, virtute, gratia tui Crassi, meis consiliis, monitis, studiis, actionibusq; nituntur: & Senatus, populusq; Romanus intelligit, tibi absenti nihil esse tam promptum, aut tam paratum, quàm in omnibus rebus, quæ ad te pertineant, operam, curam, diligentiam, autoritatem meam. Quæ sint acta, quæq; agantur, domesticorum tibi literis declarari puto. De me sic existimes, ac tibi persuadeas vehementer velim, non me repentina aliqua voluntate, aut fortuitò ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidisse, sed ut primùm forum attigerim, spectasse semper, ut tibi possem quàm maximè esse conjunctus. Quo quidem ex tempore, memoria teneo, neq; meam tibi observantiam, neq; mihi tuam summam benevolentiam, ac liberalitatem defuisse. Si qua interciderunt non tam re, quàm suspicione violata, ea cùm fuerint & falsa, & inania, sint evulsa ex omni memoria, vitaq; nostra. Is enim tu vir es, & eum me esse cupio, ut quoniam in eadem Republica tempora incidimus, conjunctionem, amicitiamq; nostram utrique nostri laudi sperem fore.

Quamobrem tu quantum tuo judicio tribuendum nobis esse putes, statues ipse, & ut spero, statues ex nostra dignitate. Ego verò tibi profiteor, atq; polliceor eximium & singulare meum studium in omni genere officii, quod ad honestatem, & gloriam tuam spectet. In quo, etiam si multi mecum contendent, tamen cùm reliquis omnibus, tum Crassis tuis judicibus, omnes facilè superabo: quos quidem ego ambos unicè diligo: sed in Marco benevolentia impari: hoc magis sum Publio deditus, quòd me quanquam à pueritia sua semper, tamen hoc tempore maximè, sicut alterum parentem & observat, & diligit. Has literas velim existimes fœderis habituras esse vim, non epistolæ: meq; ea, quæ tibi promitto, ac recipio, sanctissimè esse observaturum, diligentissimeq; facturum. Quæ à me suscepta defensio est, te absente, dignitatis tuæ, in ea jam ego, non solùm amicitiæ nostræ, sed etiam constantiæ meæ causa permanebo. Quamobrem satis esse hoc tempore arbitratus sum, hæc ad te scribere: me, si quid ipse intelligerem aut ad voluntatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, mea sponte id esse facturum: sin autem quippiam aut à te essem admonitus, aut à tuis, effecturum, ut intelligeres, nihil neq; te scripsisse, neq; quenquam tuorum ad me frustra detulisse. Quamobrem velim ita & ipse ad me scribas de omnibus, minimis, maximis, mediocribusq; rebus, ut ad hominem amicissimum: & tuis præcipias, ut opera, consilio, auctori-

toritate, gratia mea sic utantur in omnibus publicis, privatis, forensibus, domesticis, tuis, amicorum, hospitum, clientum tuorum negotiis, ut, quo ad ejus fieri possit, præsentiæ tuæ desiderium meo labore minuatur. Vale.

. Analysis Rhetorica.

DEmonstrat Cicero hac epistola paulò liquidius *suum* erga Crassum *amorem*. Aristoteles vocat φίλον ὄντα ἀποδεικνύναι 2. Rh. 4. §. 48.

Status ergo epistolæ est; *Ego tibi sum amicus.*

Jam advorte, quibus argumentis id probet; est enim hæc epistola ut omnium officiosissima, sic eadem omnium prudentissimè ac modestissimè conscripta, ceu rectè judicat Manutius in Commentario.

Quantum meum studium — *perscripserint*. Morata oratio amorem erga Crassum spirans. 2. Rh. 4. §. 24.

Amamus studiosos nostri. Et §. 2. è definitione *amoris: amare est velle alicui ea, quæ bona arbitraris, idq; ejus causa, non tua, ad eaq; pro viribus ei procuranda ac conficienda propensum esse.*

Non enim fuit — præteriri. Aliud ἦθ@ è §. 8. ejus capitis: *amamus eos, qui beneficia tribuerunt aut magna aut alacri animo.*

Nam & cum consulibus — redditi. E. §. 11. *Amant eos, qui propensi sunt ad aliorum salutem defendendam.*

Neque me hercule — immutarunt tibi. Crassi objectioni occurrit:

Cuicunq; simultas cum quo intercedit, inter illos non potest esse amicitia.

Tib: mecum simultas intercedit. E.

Respondet Cicero μεταςάσει seu *remotione*, translata scil. culpa in homines improbos & pestilentes aliena laude dolentes. Vid. Voss. l. 1. Instit. Orat. c. 9. obs. 7.

Sed exstitit — fides. Recole definit. *amoris* §. 2.

Sum enim consecutus — declarari puto. Sui erga Crassum amoris *testes* adducit ἀξιοπίςους, Crassi ipsius domum, cunctam civitatem, Crassi uxorem, Crassi filios, Senatum P. Q. R. vid. I. Rh. 15. §. 16. & Voss. l. 1. Instit. orat. c. 12. obs. 3.

De me sic existimes — defuisse. I. Rh. 9. §. 46. ἴδιον τοῦ σπουδαίου τὸ κατὰ προαίρεσιν, *proprium est viri boni consultò agere: conandum est, ut, quod actum est consultò actum esse doceamus.*

Si qua — vita nostra. Ad objectionem hanc supra responderat *remotione*, hîc *in-*

inficiatione, suspecta omnia ex memoria omnique vita evulsa esse cupiens.

Amamus autem τὰς μὴ μνησικάκους, *qui facile obliviscuntur injurias, neq; in animo conservant ac continent, sed placabiles sunt* 2. Rh. 4. §. 21.

Is enim — laudi sperem fore. Ab honesto, 1. Rh. 9. §. 5. Decet omninò, ut, qui Remp. simul tractant, se mutuò quoque ament juventque.

Quamobrem — dignitate. Conclusio, quia tibi sum amicus, tu mihi quoque esse debebis.

Ego verò tibi — spectet, Perpende rursum definitionem τοῦ *amare* §. 2.

In quo — observat & diligit. Νίκη τῶν καλῶν, *victoria in rebus pulchris est, virtutis enim exsuperantiam ostendit.* 1. Rh. 9. §. 31. filios autem tuos amo, quia me amant, 2. Rh. 4. §. 3. *amicus est, qui amat & contra amatur.*

Has literas — labore minuatur. Hæc quæ sequuntur ad finem usque partim ex definitione *amoris* fluunt, partim ex propositione §. 11. quâ eos verè amare & amari Aristoteles dicit, *qui ad aliorum salutem defendendam propensi sunt*, (οἱ πρακτικοὶ εἰς σωτηρίαν) quomodo se erga Crassum affectum esse Cicero hic

profitetur. Atq; adeò ex triplici argumentorum artificialium genere, λόγοις, ἤθεσι καὶ πάθεσι, secundum hic tantùm, nempe τὸ ἦθος usurpatum esse à Cicerone paret, id quod, cùm δοκιμωτέραν πίστιν habeat, satis etiam ad ostendendum Ciceronis in Crassum amorē est validum.

Elocutio epistolæ est latina & dilucida, cui ornatus accedit à delectis & translatis verbis: per enim jucundæ sunt metaphoræ; *studium obscurum, propugnatio pro ornamentis, officium varietate temporum interruptum, officium cumulatè reddere, pestes hominum, niti actionibus, forum attingere, evellere ex memoria &c.* aliæ quippe earum à rebus voce & aspectu pulchris deductæ (3. Rh. 2. §. 42.) aliæ subjectionem habentes sub oculos, ac ita ἐνεργοῦντα σημαίνουσαι actionem significantes, 3. Rh. 11. §. 2. crebra asyndeta faciunt ad indicandam rerum gravitatem, συγκειμένη verò λέξις ad sermonis urbanitatem; πρόληψις prudentiam ostendit, prospicere enim Cicero cognoscitur, quodnam tacitum sit Crassi judicium, quonam prodendeat, quid vel probet vel improbet. *Compositio* magnam partem tracta est ac pendens, cujusmodi oratio simplex eum, qui sincerum declarare animum cupit, vel maximè decet.

Ser-

Sermo enim & animi & morum character est. Qualem itaque Cicero se haberi volebat, talem se esse, ostendebat elocutionis beneficio. Una & altera periodus in epistolæ potissimum principio, resolutu haud erit difficilis.

M. T. C. Imperator Q. Thermo Proprætori S. P. D.

(ep. 18. l. 2.)

VII.

Officium meum erga Rhodonem, cæteraq; mea studia, quæ tibi ac tuis præstiti, tibi homini gratissimo grata esse, vehementer gaudeo: mihiq; scito in dies majori curæ esse dignitatem tuam: quæ quidem à te ipso integritate, & clementia tua sic amplificata est, ut nihil addi posse videatur. Sed mihi magis magisq; quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum consilium, quod initio Aristoni nostro, ut ad me venit, ostendi, graveis te suscepturum inimicitias, si adolescens potens, & nobilis à te ignominia affectus esset. E hercle sine dubio erit ignominia: habes enim neminem honoris gradu superiorem. Ille autem, ut omittam nobilitatem,

hoc

hoc ipso vincit viros optimos, hominesq́ innocentissimos legatos tuos, quòd & quaestor est, & quaestor tuus. Nocere tibi iratum neminem posse perspicio: sed tamen treis fratres summo loco natos, promtos non indisertos, te nolo habere iratos, jure praesertim, quos video deinceps tribunos plebis per triennium fore. Tempora autem Reip. qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta videntur fore. Cur ergo te velim incidere in terrores tribunitios? praesertim cùm sine cujusquam reprehensione legatis quaestorem possis anteferre? Qui si dignum se majoribus suis praebuerit (ut spero, & opto) tua laus ex aliqua parte fuerit: sin quod offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. Quae mihi veniebant in mentem, quaq́; ad te pertinere arbitrabar, quòd in Ciliciam proficiscebar, existimavi me ad te oportere scribere. Tu quod egeris, id velim Dii approbent. Sed si me audies, vitabis inimicitias, & posteritatis ocio consules. Vale.

Analysis Rhetorica.

EPistola haec est generis deliberativi suasoria: suadet enim Thermo Propraetori, ut praeteritis legatis Rhodonem quaestorem provinciae praeficiat.

Exor-

Exordium est ἠθικὸν, quo & *lætitiam* suam exponit, quod ei grata esse officia sua intelligat, & laudat ejus in administranda provincia integritatem & clementiam.

Sequuntur. *Confirmationis* argumenta.

Præteri legatos, & præpone Rhodonem provinciæ.

1. Quia est *potens.* *Virtus enim contumelia affecta vires habens metuenda est.* 2. Rh. 5. §.8. *Sunt potentes* φιλοτιμότεροι *studiosiores honoris & erectiore animo, quàm divites.* 2. Rh. c. 17.

2. Quia est *nobilis.* 1. Rhet. 9. §. 29. τὰ τῇ φύσει ἀγαθὰ.

3. Quia *Quæstor* est. 1. Rhet. 7. §. 29. ὧν ἡ ὑπεροχὴ αἱρετωτέρα ἢ καλλίων. *Quibus excellere majus aut pulchrius est.*

Pluris est Quæstorem esse, quam Legatum; honore enim Legatus à Quæstore superatur.

4. Quia *Quæstor tuus.* Ex eodem fonte. *Pluris est Thermonis Quæstorem esse quàm alius cujusquam.*

Hinc occurrit objectioni: *atqui nemo mihi nocere potest:* afferendo

5. Argumentum à *pericoloso,* 2. Rh. 5. §. 5. τοῦτο γάρ ἐστι κίνδυνος, φοβεροῦ πλησιασμός: *Hoc ipsum*

ipſum periculum eſt, rei terribilis appropinquatio.

Video tres fratres ſummo loco natos, promptos, non indiſertos deinceps tribunos plebis fore, quos nolo te iratos habere.

6. Ἐκ τοῦ τὸν χρόνον σκοπεῖν. 2. Rh. 23. §. 20.

Tempora Reip. qualia futura ſint, quis ſcit? Mihi quidem turbulenta videntur fore.

7. à *glorioſo*. 1. Rhet. 5. §. 2. 3. 4.

Tua laus ex aliqua parte erit, ſi dignum ſe majoribus ſuis præbuerit.

Hæc ſunt argumenta, quæ exiſtimavi oportere me ad te ſcribere.

Elocutio hujus epiſtolæ conſtat verbis propriis & uſitatis, & ratione compoſitionis inciſim fere & membratim procurrit. Interrogationis ſchema iterratum magnopere valet ad urgendum & probandum in rebus manifeſtis.

Quæ quidem à te — poſſe videatur. Periodus δίκωλος βραχύκωλος.

Qui ſi dignum — offenderit. Τετράκωλος habens epiphoram, quæ orationem venuſtam reddit.

M. T. C.

M. T. C. M. Marcello S. P. D.

(ep. 9. l. 4.)

IIX.

Etsi per paucis antè diebus dederam Qu. Mutio literas ad te plurimis verbis scriptas, quibus declaraveram, quo te animo censerem esse oportere & quid tibi faciendum arbitrarer: tamen cùm Theophilus libertus tuus proficisceretur, cujus ego fidem erga te, benevolentiamq; perspexeram; sine meis literis eum ad te venire nolui. Iisdem igitur de rebus etiam atq; etiam hortor, quibus superioribus literis hortatus sum: ut in ea Repub. quæcunq; est, quàmprimum velis esse. Multa videbis fortasse, quæ nolis: non plura tamen, quàm audis quotidie. Non est porrò tuum uno sensu solùm oculorum moveri, cùm illud idem auribus percipias, quod etiam majus videri solet, minus laborare. At tibi ipsi dicendum erit aliquid, quod non sentias: aut faciendum, quod non probes. Primum tempori cedere, id est necessitati parêre, semper sapientis est habitum: deinde non habet, ut nunc quidem est, id vitii res: dicere fortasse, quæ sentias, non licet: tacere planè licet. Omnia enim delata ad unum sunt. Is utitur consilio, ne suorum quidem, sed suo. Quod non multo secus fieret, si is Rempublicam teneret, quem secuti sumus. An qui in bello, cùm omnium nostrum conjun-

ctum

ctum esse periculum suo cerneret, certorum hominum minimè prudentium consilio uteretur: eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quam ceteris in rebus fuisset? & qui nec te Consule tuum sapientissimum consilium secutus esset, nec fratre tuo Consulatum ex autoritate tua gerente, vobis autoribus uti voluerit, nunc omnia tenentem nostras sententias desideraturum censes fuisse? Omnia sunt misera in bellis civilibus: quæ majores nostri ne semel quidem, nostra ætas sæpe jam sensit, sed miserius nihil, quàm ipsa victoria: quæ etiam si ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresque reddit: ut, etiam si natura tales non sint, necessitate esse cogantur. Multa enim victori, eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito, facienda sunt. An tu non videbas mecum simul, quàm illa crudelis esset futura victoria? igitur tunc quoque patria careres, ne, quæ nolles, videres? Non inquies: ego enim ipse tenerem opes, & dignitatem meam. At erat tuæ virtutis, in minimis tuas res reponere: de Republ. vehementius laborare. Deinde, qui finis istius consilii est? Nam adhuc & factum tuum probatur: & ut in tali re, etiam fortuna laudatur: factum, quòd &, initium belli necessariò secutus sis, & extrema sapienter persequi nolueris: fortuna, quòd honesto ocio tenueris & statum, & famam dignitatis tuæ. Nunc verò nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria, nec eam diligere minus

debes

debes, quòd deformior est, sed misereri potius: nec eam multis claris viris orbatam, privare etiam aspectu tuo. Deniq, si fuit magni animi,non esse supplicem victori: vide, ne superbi sit, aspernari ejusdem liberalitatem: &, si sapientis est carere patria, duri non desiderare, & si republica non possis frui, stultum est nolle privata. Caput illud est: ut, si ista vita tibi commodior esse videatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. Magna est gladiatorum licentia, sed in externis locis minor etiam ad facinus verecundia. Mihi salus tua tanta cura est, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certè proximus sim. Tuum est consulere temporibus, & incolumitati, & vitæ, & fortunis tuis. Vale.

Analysis Rhetorica.

EPistola hæc M. Marcello *reditum in patriam suadet.* In qua Rhetoricè retexenda primo omnium eruenda est demonstranda conclusio:

Marcelle redi domum.

HInc consideranda argumenta demonstrandæ huic propositioni apta. Quæ antequam afferat, Cicero, fingit objectiones, qui-

bus sibi à Marcello occurri possit, quæque reditum adeò in patriam dissuadere quodammodo posse videantur, easque omnes hic retexit ac dissolvit.

Argumenta autem ἐλεγκτικὰ præstare δεικτικοῖς docet Aristoteles. 2. Rh. c. 23. §. 102.

Duplex autem est ratio solvendi, 1. per ἀντισυλλογισμὸν *contrarium syllogismum.* 2. Per ἔνστασιν, *instantiam seu objiciendo aliquid quod obstet.* 2. Rh. c. 25. §. 1.

Objectio Marcelli erat:

Quicunque multa Romæ acerba videre cogitur, is rectè & prudenter Roma abest,

Ego Marcellus Romæ, &c.

Ergo recte & prudenter. &c.

Cicero respondet per ἔνστασιν, ostendendo *falsum aliquid pro vero sumtum esse.* 2. Rh. c. 26. §. 9.

Nam multò atrociora ea sunt, quæ audis quotidiè, quanquam in aliis epistolis pro auribus contra oculos argumentetur, ut ep. 13. hujus libri.

Nec audio solum, quod ipsum esset, miserum, sed etiam id ipsum video, quo nihil est acerbius. est hoc ἐκ τοῦ ὁμοίου cap. 25. §. 6.

Objectio secunda Marcelli erat:

Cui-

Cuicunque Romæ dicendum est aliquid, quod non ſentiat, aut faciundum, quod non probet, is rectè Roma abeſt.

Mihi dicendum & faciendum ejusmodi quid erit &c.

E. recte &c.

Cicero iterum reſpondet per ἔνστασιν reprehendendo materiam ſyllogismi, & negando propoſitionem majorem.

Ἐνστάσεις autem cum quatuor fiant modis, 1. ἢ ἐξ ἑαυτοῦ, aut ex *reipſa*, ἢ ἐκ τοῦ ὁμοίου, aut ex *ſimili*, ἢ ἐκ τοῦ ἐναντίου aut ex *contrario*, ἢ ἐκ τῶν κεκριμένων, aut ex *rebus judicatis*. L. 2. Rhet. c. 25.

Cicero ἐνστάσεως loco hîc adhibet τὰ κεκριμένα, *res judicatas, ſeu judicia, quæ ab illuſtribus viris facta ſunt*. §. 7.

Dicis, durum eſſe, ibi eſſe, ubi dicendum, quod non ſentias, faciendum, quod non probes.

Do *inſtantiam: res judicata à multis annis eſt* & κρίσεις αἱ ἀπὸ τῶν γνωρίμων ἀνδρῶν (§. 7.) *temporicedendum neceſſitatiq; parendum eſſe*.

Dicis: durum eſſe, loqui, quod non ſentias.

Do *inſtantiam* ἐκ τοῦ ἐναντίου, §. 5. *Potes tacere*.

Dicis: si Pompejus rerum potitus esset, longè meliorem fuisse statum futurum.

Do *instantiam* ἐκ τῶν ὁμοίων §. 6. *Pompejus ratione victoriæ Cæsari simillimus futurus fuiset*: id probo, ἐκ τοῦ μᾶλλον, *ex eo, quod magis vero simile est, ad id quod minus*. 2. Rh. 23. §. 14.

Si Pompejus antea, cum omnium nostrum periculum suo conjunctum vidit, non fuit communis, h. e. *non usus est nostris consiliis, multò minus in victoriis usurus fuisset.*

Sed verum est prius, E. & posterius.

Et porrò, *Si Pompejus te Consule tuum sapientissimum consilium secutus non est, nec fratre tuo, consulatum ex autoritate tua gerente, vobis autoribus uti voluit, multo minus facturus id fuisset, omnia tenens. Sed verum prius, E. & posterius.*

Probatur consequentia majoris, *quia victoria homines etiam optimos reddit feroces, victorique multa sæpe sunt facienda eorum arbitrio, per quos vicit.*

Objicis porrò: Te Pompejo victore tenere potuisse opes & dignitatem tuam.

Respondeo per *instantiam*, ἐκ τῶν κεκριμένων, 2. Rh. c. 25. §. 7. *Res judicata est, virum pruden-*

dentem res suas in minimis ponere debere; de Republica autem vehementius loborare.

Dicis, Te laudem tamen ex consilio tuo consequi.

Respondeo per ἀντισυλλογισμὸν 2. Rh. 25. §. 2. *Hujus laudis partem sibi aliquam fortuna vendicat, fortuna autem forte esse quæ potest esse laus?*

Post hujusmodi argumenta ἐλεγκτικὰ utitur jam δεικτικῷ & quidem è loco assumto *honesti.* 1. Rh. c. 9. §. 20. ὅσα ὑπὲρ πατρίδ☉ τις ἐποίησε παριδὼν τὸ αὑτȣ̃, *quæ quis pro patria fecit propria utilitate neglecta.*

Nunc verò nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria; nec eam diligere minus debes, quod deformior est, sed misereri potius; nec eam multis claris viris orbatam privare etiam aspectu tuo.

Pergit ad objectiones respondere per ἀντισυλλογισμȣ̀ς 2. Rh. 25. §. 2.

Dicis: non esse supplicem victori magni animi indicium est:

Ἀντισυλλογίζομαι: *Superbi id animi indicium est.*

Dicis: publica re frui non possum.

Insto: *potes privata.*

Dicis: Sapientis animi est, carere patriâ.

Ἀντισυλλογίζομαι: *duri id est animi.*

Ultimum argumentum desumitur è 1. Rh. c. 5. §. 4. ὁ βί☉ ὁ μετ᾽ ἀσφαλείας, *vita extra omne periculum posita:*

Potes hîc Romæ longe tutiorem vitam agere, quam in exteris locis, in quibus plerumq; magna est gladiatorum licentia.

Demum sequitur *morata oratio: mihi salus tua curæ erit.* è 2. Rh. 4. §. 2.

Conclusio continet adhortationem, in quâ implicitè comprehenditur epistolæ *propositio:*

Ergo redi domum.

Ἦθ@ *prudentiæ, probitatis, benevolentiæ* quibus sit mistum enthymematibus, facile ipsius perspicies.

Elocutio.

Ratione *elocutionis* est *aperta* admodum atque *dilucida* epistola, *decenti* gaudens *ornatu, occultatoque artificio.*

Etsi perpaucis — nolui. Oratio orbe circumvoluta & τετραχώλιον excedens περιοδικὸν dicitur, ornatum habet ab *occupatione.*

Iisdem igitur — velis esse. Τρίκωλ@ ornata πολυπτώτῳ.

Mul-

Multa — *quotidie.* Τετράκωλος brevissimis, constans membris, habens λέξιν ἀντικειμένην.

Non est — *laborare.* Oratio εἰρομένη.

At tibi — *probes.* Τετράκωλος curtis admodum membris.

Primum tempori — *sed uno.* Oratio propemodum εἰρομένη γνωμολογικὴ habens ἀποφορὰν & dictionem αὐλικωμένην.

Quod non — *scivi sumus.* Τρίκωλος admodum φανερά.

An quid in bello — *rebus fuisset.* Τρίκωλος cujus πρότασις longissimum habet membrum propter ἐπεμβολήν, clausa est ditrochæo.

Et qui nec — *censes fuisse.* Τρίκωλος clausa ditrochæo.

Omnia sunt — *cogantur.* Περιοδικὸν γνωμολογικόν.

Multa — *facienda sunt.* Membrum sinuosum.

An tu — *victoria,* δίκωλος interrogatione acuta.

Igitur tunc — *laborare.* Oratio pleraque εἰρομένη. occupatione, ὁμοιοτελεύτῳ & γνώμῃ figurata.

Nunc adhuc — *dignitatis tua.* περιοδικὸν gaudens ὁμοιοτελεύτῳ

Nunc vero — *aspectu tuo.* Periodus τετράκωλος gaudens metaphoris.

Denique — *privata.* Elegans περιοδικὸν, habens frequentem dictionem ἀντικειμένην.

Caput — *ne tutior non sit.* Τετράκωλος minutis membris.

Magna — *verecundia,* Oratio εἰρομένη habens ὁμοιοτέλευτον.

Mihi salus — *proximus sim.* Δίκωλος, μακρόκωλος.

Tuum est — *fortunis tuis.* Dictio εἰρομένη habens polysyndeton.

M. T. C. Furnio S. P. D.
(ep. 25. l. 10.)

IX.

SI interest, id quod homines arbitrantur, Reipublica, te, ut instituisti, atq; fecisti, navare operam; rebusq; maximis, quæ ad extinguendas reliquias belli pertinent, interesse: nihil videris melius, neq; laudabilius, neq; honestius facere posse, istamq; operam tuam, navitatem, animum in rempublicam celeritati præturæ anteponendam censeo. No-

lo enim te ignorare, quantam laudem consecutus sis: mihi crede, proximam Planco, idq; ipsius Planci testimonio, prætereà fama, scientiaque omnium. Quamobrem si quid operis tibi etiam nunc restat, id maximoperè censeo persequendum. Quid enim honestius? aut quid honesto anteponendum? Sin autem satisfactum Reipubl. putas, celeriter ad comitia, quando maturè futura sunt, veniendum censeo: dummodo ne quid hæc ambitiosa festinatio imminuat ejus gloriæ, quam consecuti sumus. Multi clarissimi viri, cùm reipublicæ darent operam, annum petitionis suæ non obierunt. Quod eò facilius nobis est, quòd non est annus hic tibi destinatus: ut si ædilis fuisses, post biennium tuus annus esset. Nunc nihil prætermittere videbere usitati, & quasi legitimi temporis ad petendum. Video autem Planco consule, et si etiam sine eo rationes expeditas haberes, tamen splendidiorem petitionem tuam, fore si modò ista ex sententia confecta essent. Omnino plura me scribere, cùm tuum tantum consilium, judiciumq; sit, non ita necesse arbitrabar: sed tamen sententiam meam tibi ignotam esse nolebam. Cujus est hæc summa, ut omnia te metiri dignitate malim, quàm ambitione: majoremq; fructum ponere in perpetuitate laudis, quàm in celeritate præturæ. Hæc eadem locutus sum domi meæ, adhibito Qu. fratre meo, & Cæcinna & Calvisio studiosissimis tui, cùm Dardanus libertus

tuus intereſſet. Omnibus videbatur probari oratio mea: ſed tu optimè judicabis. Vale.

Analyſis Rhetorica.

ET ſuadet & diſſuadet hæc epiſtola Furnio reditum ex provincia ad adipiſcendam Præturam, at diverſa ratione: diſſuadet, ſi interſit Reip. diutius eum intereſſe rebus maximis, quæ ad extinguendas reliquias belli pertinent: ſuadet reditum, ſi nihil ſit ampliùs ſuper, quod Reip. nomine poſſit facere.

Potiſſimus epiſtolæ ſcopus eſt diſſuaſio:

Si Reip. utile eſt, te in provincia manere apud exercitum, noli Romam feſtinare ad adipiſcendam Præturam.

Hoc enim eſt *honeſtum* 1. Rh. 9 §. 20. ὅσα ὑπὲρ πατρίδος τις ἐποίησε παριδὼν τὸ αὑτοῦ. *Et quæcunq; quis propria utilitate neglecta pro patria fecit.*

Nihil videris melius, neq; laudabilius, neq; honeſtius facere poſſe, quàm ſi neglecta propria utilitate patriæ commodis inſervire, rebusq; maximis, quæ ad reliquias belli pertinent, intereſſe perrexeris.

Hoc augebit εὐδοξίαν i. e. *bonam exiſtimationem tuam*, 1. Rh. 5. §. 22.

Nolo

Nolo te ignorare, quantam laudem consecutus sis: mihi crede, proximam Planco, idq; ipsius Planci testimonio, praeterea fama scientiaq́; omnium. Majorem consequere, si moderatior fueris in ambitu temperatiorq́;, & quod restat adhuc operis, id gnaviter persecutus fueris. E. *noli festinare.*

Quidquid imminuit partem felicitatis tuae, id agendum non est. 1. Rh. 5. §. 3.

Sin satisfactum Reip. putas, celeriter quidem ad comitia, quando maturè futura sunt, veniendum censeo, dummodò ne quid hac ambitiosa festinatio imminuat ejus gloriae, quam consecuti sumus.

Enthymematibus istis subjicit *exemplum* multorum clarissimorum virorum, qui, quo tempore extra urbem prodesse Reip. potuerunt, non venerunt ad petendum. 2. Rh. c. 20. §. 6. & 7.

Si multi clarissimi viri, cum Reip. darent operam, non obierunt annum petitionis suae. E. *nec tibi obeundus.*

Quod factu facile est, id est agendum. ῥᾴδια δ' ὅσα ἢ ἄνευ λύπης, ἢ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ. *Factu facilia sunt, quaecunq; aut sine molestia, aut brevi tempore.* 1. Rh. c. 6. §. 36.

Peti-

Petitio tua, Planco consule, longè erit facilior, cùm post biennium demum legitimus annus petitionis tuæ sit futurus; prætura enim non præcedit, sed sequitur ædilitatem.

Argumentis his λογικοῖς mista sunt ἠθικὰ; & *benevolentiæ* quidem ἦθος indicat, cùm apertè confitetur, *magnam eum laudem consecutum esse, proximam Planco* &c. *Prudentiæ* verò, cum monet eum familiariter, *ut dignitate potius metiatur omnia, quàm ambitione, majoremque fructum ponat in perpetuitate laudis, quàm in celeritate Præturæ*

Lustranda jam & *elocutio*.

Si interest — *censeo*: Est προοδικὸν metaph. & ὁμοιοτέλευτοις ornatum.

Nolo enim — *scientiaq́ omnium*. Periodus δίκωλος ἰσόκωλος cum adjunctione trium membrorum.

Quamobrem si — *persequendum*. Δίκωλος βραχύκωλος.

Quid enim — *anteponendum?* Membra πολυπτῶτα & interrogatione acutula.

Sin autem — *consecuti sumus*. Periodus τετράκωλος.

Multi — *obierunt*. Periodus simplex.

Quod eò facilius — *annus esset*. Τετράκωλος clausa ditrochæo.

Nunc

Nunc nihil — *petendum.* Membrum χοινότερες ditrochæo terminatum.

Video autem — *confecta essent.* Δίκωλος βραχύκωλος, ex qua τρίκωλος fieri poterit hujusmodi μεταποίησει;

Etsi etiam sine Planco rationes expeditas habeas,

Tamen video, splendidiorem sub ejus consulatu petitionem tuam fore,

Si modò ista ex sententia confecta essent.

Omninò plura — *arbitrabar.* Μονόκωλος, ex qua fit δίκωλος tali verborum connexione:

Cùm tuum tantum consilium judiciumq; sit,

Omnino plura me scribere non necesse arbitrabar.

Sed tamen — *nolebam.* Membrum ὀρθόν.

Ut omnia — *Præturæ.* Duæ Periodi μονόκωλοι γνωμολογικαί.

Hæc eadem — *interesset.* Dictio περιφρασις.

Omnibus probari — *judicabis.* Membratim procurrens dictio clausa ditrochæo.

M. T. C.

M. T. C. P. Nigidio Figulo S. P. D.

(ep. 13. l. 4.)

X.

Quærenti mihi jam diu quid ad te potissimùm scriberem, non modò certa res ulla, sed ne genus quidem literarum usitatum veniebat in mentem. Unam enim partem, & consuetudinem earum epistolarum, quibus secundis rebus uti solebamus, tempus eripuerat: perfeceratq; fortuna, ne quid tale scribere possem, aut omnino cogitare. Relinquebatur triste quoddam, & miserum, & his temporibus consentaneum genus literarum: id quoq; deficiebat me, in quo debebat esse aut promissio auxilii alicujus, aut consolatio doloris tui. Quod pollicerer, non erat: ipse enim pari fortuna abjectus, aliorum opibus casus meos sustentabam: sæpiusq; mihi veniebat in mentem queri, quòd ita viverem, quàm gaudere, quòd viverem. Quanquam enim nulla meipsum privatim pepulit insignis injuria; nec mihi quicquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultrò mihi Cæsar detulerit: tamen nihilominus eis conficior curis, ut hoc ipsum, quòd maneam in vita, peccare me existimem. Careo enim cùm familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut distraxit

traxit fuga; tum omnibus amicis, quorum benevolentiam nobis conciliarat per me quondam te socio defensa Resp. versorq; in eorum naufragiis, & bonorum direptionibus: nec audio solùm, quod ipsum esset miserum, sed etiam idipsum video, quo nihil acerbius, eorum fortunas dissipari, quibus nos olim adjutoribus illud incendium extinximus: & in qua urbe modò gratia, autoritate, gloria floruimus, in ea nunc iis quidem omnibus caremus. Obtinemus ipsius Cæsaris summam erga nos humanitatem: sed ea plus non potest, quàm vis & mutatio omnium rerum, atq; temporum. Itaq; orbus iis rebus omnibus, quibus & natura me, & voluntas, & consuetudo assuefecerat, cùm cæteris, ut quidem videor, tum ipsi mihi displiceo. Natus enim ad agendum semper aliquid dignum viro, nunc non modò agendi rationem ullam habeo, sed ne cogitandi quidem: & qui antea aut obscuris hominibus, aut etiam sontibus opitulari poterã, nunc P. Nigidio, uni omnium doctissimo, & sanctissimo, & maxima quondam gratia, & mihi certè amicissimo, ne benignè quidem polliceri possum. Ergo hoc ereptum est literarum genus. Reliquum est, ut consoler, & afferam rationes, quibus te à molestiis coner abducere. At ea quidem facultas, vel tui, vel alterius consolandi, in te summa est, si unquam in ullo fuit. Itaq; eam partem, quæ ab exquisita quadam ratione, & doctrina proficiscitur, non attingam, tibi totam relinquam. Quid sit forti & sapienti homine dignum:

gnum: quid gravitas, quid altitudo animi, quid acta tua vita, quid studia, quid artes, quibus à pueritia floruisti, à te flagitent, tu videbis. Ego quod intelligere & sentire possum, quia sum Romæ, & quia curo, attendoq́, id tibi affirmo; te in istis molestijs, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum: in ijs autem, in quibus etiam nos sumus, fortasse semper fore. Videor mihi perspicere primùm ipsius animum, qui plurimum potest, propensum ad salutem tuam. Non scribo hoc temerè, quo minus familiaris sum, hoc sum ad investigandum curiosior. Quò facilius, quibus est iratior, respondere tristius poßit, hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandum. Familiares verò ejus, & ij quidem qui illi jucundissimi sunt, mirabiliter de te & loquuntur, & sentiunt. Accedit eòdem vulgi voluntas, vel potius consensus omnium. Etiam illa, quæ minimum nunc quidem potest (sed posßit necesse est) Respublica, quascunq́ vires habebit, ab ijs ipsis quibus tenetur. de te propediem (mihi crede) impetrabit. Redeo igitur ad id, ut jam tibi etiam pollicear aliquid, quod primò omiseram. Nam & complectar ejus familiarissimos, qui me admodum diligunt, multumq́ mecum sunt: & in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo: & certè omneis vias persequar, quibus putabo ad id, quod volumus, pervenire posse. In hoc toto genere plura faciam, quàm scribere audeo. Cætera, quæ tibi à mul-

tis

tis prompta esse certè scio, à me sunt paratissima. Nihil in re familiari mea est, quod ego malim meum esse, quàm tuum. Hac de re, & de hoc genere toto hoc scribo parcius, quòd te, id quod ipse confido, sperare malo te esse usurum tuis. Extremum illud est, ut te horter, & obsecrem, animo ut maximo sis: nec ea solùm memineris, quæ ab aliis magnis viris accepisti, sed illa etiam, quæ ipse ingenio, studioq́ peperisti. Quæ si colliges, & sperabis omnia optime, & quæ accident, qualiacunque erunt, sapienter feres. Sed hæc tu melius vel optimè omnium. Ego. quæ pertinere ad te intelligam, studiosissimè omnia diligentissimeq́ curabo: tuorumq́ tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conservabo. Vale.

Analysis Rhetorica.
De Inventione.

EPistola hæc est generis deliberativi consolatoria: Consolatur enim Cicero Nigidium propterea quod à partibus Pompeji steterat, exulantem, eumq; hortatur, ut exilium forti animo ferat.

Princeps ergo propositio epistolæ seu conclusio demonstranda hæc est: *Forti animo exilium feras.* Antequam autem hanc proposi-

tionē argumentis demonstret, singulari consilio deplorat miserum & suum & reipublicæ statum, eo fine, ut æquo animo desiderium urbis Nigidius ferat.

Exordium est ἠθικὸν; *benevolentiam* nimirum captans excusatione, quod scilicet nesciat, quid ad eum potissimum scribat. Amplificatur isthæc excusatio distributione.

Epistolæ enim sunt aut lætæ aut tristes: Lætis uti non possum, quia hoc calamitoso reipublicæ statu jocari non licet, nec tristibus possum uti: oportet enim me aut auxilium polliceri, aut consolari dolorem tuum: auxilium policeri non possum, qui aliorum opibus meipsum sustento.

Hic incipit jam prolixius suam conditionem describere, & expositis multis magnisq; miseriis suis, affectum misericordiæ movere. *Careo amicis & familiarissimis* (κακὸν λυπηρὸν) 2. Rh. c. 8. §. 2. & 17.

Versor in bonorum naufragiis & direptionibus, nec audio solum, sed ipsum quoq; video (κακὸν λυπηρὸν)

Florui antea, Romæ gratia autoritate & gloria (κακὸν λυπηρὸν) valde enim afficit comparatio inter fortunæ prioris felicitatem & miseriam præsentem. vid. Voss. l. 2. Part. Orat. c. 13. §. 9.

Ex

Ex his argumentis patheticis summa Ciceronis elucet *prudentia.*

Post longam hujusmodi fortunæ suæ miserabilisque reipublicæ status commemorationem progreditur jam ad *principalem* epistolæ *conclusionem*, quâ eum incipit consolari.

Ergo reliquum est, ut te consoler, & afferam rationes, quibus à molestiis te abducam.

Prius autem quam consolationis argumenta adferat, utitur eleganti *morata oratione*, qua se in animum Nigidii penitus insinuat:

Facultas vel tui vel alterius consolandi in te summa est : Tu ipse intelligis quid forti & sapienti homine sit dignum, quid vitæ, quid studia à te flagitent. &c.

Laudare aliquem citra adulationem ἠθικὸν est, & benevolentiam alterius nobis conciliat.

Hinc adhibet argumenta *fidentiam* gignentia, adeoque consolationi aptissima:

Sis forti animo.

I. *Non diu eris in illis molestiis.* (σημεῖον ὡς ἐγγὺς ὂν 2. Rh. c. 5. §. 34.)

II. *Cæsaris animus propensus est ad salutem tuam.* (σημεῖον ὡς ἐγγὺς ὂν)

III. *Cæsaris familiarissimi mirabiliter de te & loquuntur & sentiunt.* (σημεῖον ὡς ἐγγὺς ὂν)

IV. *Accedit eodem & vulgi voluntas & consensus* (σωῖηειον ὡς ἐγγὺς ὄν)

V. *Ipsa respublica tibi favet*, (σωῖηειον ὡς ἐγγὺς ὄν.)

Ergo æquo animo feras adversam fortunam.

Quæ sequuntur ad finem usque epistolæ illa ferme omnia spirant *moratam* orationem, in qua δεξιτέραν πίστιν, statuit Aristoteles.

De Elocutione.

SEquitur *Elocutio* hujus epistolæ, quæ ratione elegantiæ pura est & perspicua, ratione dignitatis, Tropos habet, & Schemata, ratione compositionis periodos, membris incisis & φράσει εἰρομένῃ permistas.

Quærenti mihi — *in mentem.* Est periodus μονόκωλ☉.

Unam enim — *cogitare.* Oratio εἰρομένη.

Relinquebatur — *literarum.* Membrum oblongum.

Id quoque — *doloris tui.* Membrum cum periodo δικώλῳ, in fine est jambus præcedente spondeo.

Ipse — *sustentabam.* Membrum, in verbis *abjectis* & *sustentabam* latent Metaphoræ.

Sæpiusque mihi — *viverem.* Δίκωλος periodus habens ἐπιστροφήν.

Quamquam — *existimem.* Περιοδικὸν πεντάκωλον; habens metaphoram & terminatur jambo præcedente spondæo.

Careo — *Respublica.* Periodus τετράκωλος.

Versorque — *extinximus.* Oratio κεχωρισμένη habens metaphoras in vocibus *naufragiû exstinximus. &c.*

In qua — *caremus.* Periodus δίκωλος habens λέξιν ἀντικειμένην quæ judicante Aristotele orationem urbanam reddit, habet metaphoram, terminatur ditrochæo.

Obtinemus — *temporum.* Membrum cum annexa periodo μονοκώλῳ.

Itaque — *displiceo.* Membrum oblongum sinuosum.

Natus — *cogitandi* Δίκωλος βραχύκωλος ὁμοιοπτώτῳ ornata.

Et qui antea — *polliceri possum.* Periodus δίκωλος μακρόκωλος figurata ὁμοιοπτώτῳ, metaphora, & λέξει ἀντικειμένῃ.

Reliquum est, — *relinquam.* Oratio κεχωρισμένη, ornata digressione, terminata ditrochæo.

Quid sit forti — *videbis.* Periodus μονόκωλ☉ metaphoris & anaphoris decora clausa ditrochæo.

Ego quod — *temere.* Sunt hæc *tracta* & *fusa.*

Quo minus — *curiosior.* Periodus μονόκωλ☉.

Quo facilius — *liberandum.* Periodus δίκωλ☉. Terminatur ditrochæo.

Familiares vero — *pervenire posse.* Hæc spirant fusum & tractum dicendi genus.

In hoc toto — *audio.* Est periodus μονόκωλ☉.

Cætera — *paratissima.* Membrum sinuosum.

Nihil — *tuum.* Periodus τρίκωλ☉ minutis membris.

Hac de re — *animo sis.* Oratio ἀσύνδετη.

Nec ea — *peperisti.* Periodus τετράκωλ☉ ornata metaphora.

Quæ si — *feres.* Δίκωλ☉ αἴτιο☉.

Sed tu hæc — *conservabo.* Oratio ἀσύνδετη.

DE-

DECAS TERTIA.

M. T. Cicero Titio S.D.

(ep. 16. l. 5.)

I.

ETsi unus ex omnibus minimè sū ad te consolandū accommodatus, quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen cùm longius à summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quàm tuus, statui nostræ necessitudinis esse, meæq; in te benevolentiæ, non tacere tanto in tuo mœrore tandiu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ levare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio pervulgata quidem illa maximè, quam semper in ore, atq; in animo habere debemus; Homines nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra: neque id esse recusandum, quò minus ea, qua nati sumus, conditione vivamus: nêve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus:

sumus: eventisq; aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis novi cogitemus. Neque hæ, neque cæteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis viris usurpatæ, memoriaq; & literis proditæ, tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostræ civitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum: cùm beatissimi sint, qui liberos non susceperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quàm si eosdem bona, aut deniq; aliqua Republica perdidissent. Quòd si tuum te desiderium movet, aut si tuarum rerum cogitatione mœres: non facilè exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto: sin illa te res cruciat, quæ magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miserias lugeas (ut ea non dicam, quæ sæpissimè & legi, & audivi, nihil mali esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quàm mors ducenda sit; sin sit autem amissus, nulla videri miseria debeat, quæ non sentiatur) hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendêre Reipublicæ, quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim jam non modò pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati, ac saluti loci? non mehercule quenquam audivi hoc gravissimo, & pestilentissimo anno adolescentulum, aut puerum mortuum, qui mihi non à diis immortalibus ereptus ex his miseriis, atque ex iniquissima conditione vitæ, videretur

retur

retur. Quare si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid iis, quos amasti, mali putes contigisse: permultum erit ex mœrore tuo diminutum. Relinquetur enim simplex illa iam cura doloris tui, quæ non cum illis communicabitur, sed ad te ipsum propriè referetur. In qua non est jam gravitatis, ac sapientiæ tuæ, quam tu à puero præstitisti, ferre immoderatius casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria, maloq; sejunctus. Etenim eum semper te & privatis in rebus, & publicis præstitisti, tuenda tibi ut sit gravitas, & constantiæ serviendum. Nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos præripere consilio, prudentiaq; debemus. Etenim si nulla unquam fuit liberis amissis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certè nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus: neque expectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possimus. His ego literis si quid profecissem, existimabam optandum quiddam me esse assecutum: sin minus fortè valuissent, officio tamen esse functum benevolentissimi, atq; amicissimi: quem me tibi & fuisse semper existimes, velim, & futurum esse confidas. Vale.

Analysis Rhetorica.

SOlatur Titium amicum suum, mortem filiorum, quos sub dominatu Cæsaris amiserat, gravius ferentem.

Est ergo epistolæ propositio: *Moderare, mi Titi, luctui tuo.*

Etsi unus — sanare potuisset. Propositioni præmittitur exordium ἠθικὸν, quo officium suum & societatem luctus indicat. *Facile autem miserantur eruditi, bene enim secum rationem reputant* 2. Rh. 8. §. 7. *tum si malum tale est, ut id nobis quoq; aut nostrorum cuiquam evenire posse arbitremur.* §. 2. Communicatio autem doloris quasi quædam consolatio est.

Confirmationis primum argumentum est ἐκ τῶν ὁμοίων πτώσεων, è loco *conjugatorum*, 2. Rh. 23. §. 5.

Considera homines nos esse, quibus humani alienum nihil esse potest.

Secundum ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, è loco *impossibilis*, 2. Rh. 19.

Cogita, ea lege nos esse natos, ut omnibus fortunæ telis proposita sit vita nostra &c. casus illos nullo consilio vitare possumus.

Homo

Homo naturæ lege omnibus fortunæ telis obnoxius non debet casus consilio inevitabiles nimis graviter ferre.

Tu es &c. E.

Tertium ab *exemplo* aliorum 2. Rh. 20.

Repete memoria eventus aliorum, & nihil tibi accidisse novi deprehendes. Solamen autem miseris socios habuisse malorum.

Quartum ἐκ τῆς τῶν σοφῶν κρίσεως, à *judicio sapientum virorum.* 2. Rh. 23. §. 41.

Multæ sunt consolationes à sapientissimis viris usurpatæ, memoriaq; & literis proditæ, qui mortem contemnendam censent.

Quintum ἐκ τοῦ τὸν χρόνον σκοπεῖν. *Tempus intueri.* 2. Rh. 23. §. 20.

Multum videtur proficere debere status ipse nostræ civitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum: cum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quàm si eosdem bona aut deniq; aliqua Rep. perdidissent.

Sextum ἐκ τῆς εὐδαιμονίας, à *felicitate.* 1. Rh. 5. §. 3. & 4.

Nihil mali, puta, liberis, quos amisisti, contigisse, sed illis bene esse.

Pro-

Profert hoc ad modum dilemmatis, cum ita contra eum insurgit:

Aut est in morte sensus aliquis, aut non est, Si est, immortalitas illa potius, quàm mors dicenda est; & ita lugendi causam nullam habes.

Si non est, miseria videri non debet, qua non sentiatur, & nec sic quod lugeas, habes. Ubi recte concludit, animas non mori, non tamen evincit, noxias animas non cruciari.

Hinc repetit paulò ante adductum enthymema à *temporis inspectione*.

Videmus jam omnia misceri, nihil esse probitati, nihil libertati ac saluti loci &c. Existimo, bene agi cum adolescentibus, qui hoc pestilentissimo tempore à Diis immortalibus ex his miseriis eripiuntur.

Ex antecedente dilemmate jam deducit aliud:

Aut filiorum causa luges, aut tuâ,

Non filiorum causa, illis enim nihil mali contigit, nec tua, non enim gravitatis ac sapientiae tuae est, casum incommodorum tuorum immoderatius ferre; tuenda tibi est gravitas, & constantiae serviendum. E. dolendum planè non est.

Se-

Septimum ἐκ τοῦ ἧττον, *ex eo quod minus*. 2. Rh. 23. §. 14.

1. *Si diuturnitas maximos luctus vetustate tollit, multò magis consilium & prudentia.*
2. *Si mulieres aliquando lugendi modum faciunt, magis multò facere debent viri prudentes.* Hoc *pudori* etiam movendo est idoneum, actiones enim ex imbecillo animo proficiscentes ἀπὸ τῆς κακίας ἔργα ἐστί, 2. Rh. c. 6. §. 5. & 6.

Conclusione testatur suam erga Titium solicitudinem & voluntatem. Ex definitione *amoris*. 2. Rh. 4. §. 2.

Reliquum quod est vel *prudentiæ* vel *benevolentiæ* vel *probitatis* ἤθος, quibusque sit enthymematibus permistum, facili negotio ipsius animadvertes.

De Elocutione.

HÆc quod compositionem attinet, valde est καλεστεραμμένη, ornatum enim ex idonea verborum sententiarumque structura provenientem ubique ferme licebit animadvertere.

Etsi unus — *sanare potuisset.* Περιβολὴ περιο δίκη elegantibus metaphoris conspicua.

Est

Est autem consolatio — cogitemus Orationis genus, quod πνεῦμα Rhetores dicunt, inquo membra plura sine verborum sententiarumque orbe perficiunt sententiam. Venusta est γνώμη de conditione humana.

Neq; hac — perditorum. Periodus Τείκωλος.

Cùm beatissimi — perdidissent. Τρίκωλος productiorum membrorum.

Quod si tuum — universum puto. Τρίκωλος ἄνισος metaphora insignis.

Sin illa — sentiatur. Περιοδικὸν præteritione decorum, terminatum ditrochæo.

Hoc tamen — esse videatur. Τετράκωλος : metaphora est in verbo *misceri*, *ordo* conspicitur in collocatione trium verborum *misceri, parari, impendere.*

Quid est enim — loci? Μονόκωλος. In conglomeratione nominum elegans *ordo* observatur, maximè enim emphatica posteriori loco statuuntur, ut oratio crescat. Interrogationis schema inservit indignationi exprimendæ.

Non mehercule — videretur. Δίκωλος longissimorum membrorum æqualium.

Quare si tibi — deminutum. Τρίκωλος ἰσοκωλής.

Re-

Relinquetur enim — sejunctus. Dictio ἠχομένη γνωμολογική.

Etenim eum — serviendum. Δίκωλ☉ ditrochæo terminata.

Nam quod — debemus. Δίκωλ☉ γνωμολογική.

Etenim si nulla possumus. Περιοδικὸν metaphora ornatum.

His ego literis — amicissimi. Τετράκωλ☉.

M. T. C. Q. Ligario S. P. D.
(ep. 14, l. 6.)

II.

Etsi tali tuo tempore me aut consolandi, aut juvandi tui causa scribere ad te aliquid pro nostra amicitia oportebat: tamen adhuc id non feci; quia neq; lenire videbar oratione, neq; levare posse dolorem tuum. Posteà verò quàm magnam spem habere cœpi, fore, ut te brevi tempore incolumem haberemus: facere non potui, quin tibi & sententiam, & voluntatem declararem meam. Primùm igitur scribam, quod intelligo, & perspicio, non fore in

in te Cæsarem duriorem. Nam & res eum quotidie, & dies, & opinio hominum, &, ut mihi videtur, etiam sua natura mitiorem facit. Idq́; cùm de reliquis sentio, tum de te etiam audio ex familiarissimis ejus: quibus ego ex eo tempore, quo primum ex Africa nuncius venit, supplicare unà cum fratribus tuis non destiti: quorum quidem & virtute, & pietate, & amore in te singulari, & assidua, & perpetua salutis tuæ cura tantum profeci, ut nihil sit, quod non ipsum Cæsarem tributurum existimem. Et si tardius fit, quàm volumus: magnis occupationibus ejus, à quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt: & simul Africanæ causæ iratior, diutius velle videtur eos habere solicitos, à quibus se putat diuturnioribus esse molestiis conflictatum. Sed hoc ipsum intelligimus eum quotidie remissius, & placatius ferre. Quare mihi crede, & memoriæ manda, me tibi id affirmasse, te in istis molestiis diutius non futurum. Quando quid sentirem exposui, quid vellem tua causa, re potius declarabo, quàm oratione. Et si tantum possem, quantum in ea Rep. de qua ita meritus sum, ut tu existimas, posse debebam, ne tu quidem in istis incommodis esses. Eadem enim causa opes meas fregit, quæ tuam salutem in discrimen adduxit. Sed tamen quicquid imago veteris meæ dignitatis, quicquid reliquiæ gratiæ valebunt: studium, consilium, opera, gratia, fides mea, nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem sem-

ſemper habuiſti: primùm ob eas cauſas, quas ſcripſi: deinde, quòd ea de Republ. ſemper voluiſti, atq; ſenſiſti, ut non modò nunc ſecunda ſperare debeas, ſed etiam, ſi omnia adverſa eſſent, tamen conſcientiâ & factorum & conſiliorum tuorum, quæcunq; acciderint, fortiſſimo & maximo animo ferre deberes. Vale.

Analyſis Rhetorica.
De Inventione.

EPiſtola hæc eſt generis deliberativi conſolatoria, in qua Ligario ſpem facit de reditu ex Africa.

Exordium eſt valde ἠθικὸν, purgat enim ſeſe Ligario, quod tali ejus tempore nihil ad eum ſcripſerit, addita ratione, quia oratione dolorem ejus lenire haud potuerit.

Hinc ſequitur propoſitio: *Fortis ſis animo & bene ſperes de reditu tuo.*

Confirmationis primum argumentum ſumitur ex Ariſt. 2. Rh. c. 5. §. 34.

τὰ φοβερὰ μὴ ὄντα, *ſi qua terrendi vim habent, non exiſtunt.*

Cæſar non erit in te durior. Hoc probatur 1. quia res, 2. dies, 3. opinio hominum,

4. ſua ipſius natura eum mitiorem facit, 5. quia hoc ipſum ex familiariſſimis ejus hominibus fide dignis audivi.

Attamen aditus ad eum difficiles ſunt. Reſp. Hoc fit (1.) propter ejus occupationes, 2. quia cauſæ Africanæ non tam facile poterit oblivisci. 2. Rh. 25.

Secundum argumentum è §. 34. τὰ σωτήρια ὡς ἐγγὺς ὄντα

Si res ſalutares prope exiſtunt.

Non eris diu in iſtis moleſtiis.

Huic annectitur *morata oratio, benevolentiam* & *prudentiam* ſpirans. è §. 43.

Cum vident ſui ſimiles non terreri.

Meæ opes æque ſunt fractæ. Cui ſubnectit aliam *moratam* orationem, quæ *benevolentiam* ſpirat.

Jam repetit primariam concluſionem.

Ergo fortem habeas animum, quem ſemper habuiſti.

Claudit denique epiſtolam argumento è §. 45. ἐὰν μὴ ἠδικηκότες ὦσιν, *ſi neminem injuria affecerint.*

Conſcientia & factorum & conſiliorum tuorum te abunde ſolabitur, neq; unquam injuria aliquem affeciſti.

E. forti ſis animo.

De Elocutione.

E*Tsi tali — dolorem tuum*. Est periodus τετράκωλος πρότασιν habens unius & ἀπόδοσιν trium membrorum. Ornata est metaphoris & clausa jambo præcedente spondæo.

Postea vero — declararem meam. Est itidem τετράκωλος sed membrorum inæqualium, clausa jambo præcedente spondæo.

Primum — duriorem. Periodus τρίκωλος solutior ornata metaphora & clausa ditrochæo.

Nam & — mitiorem facit. Membrum flexuosum πολυσυνδέτῳ ornatum & jambo clausum præcedente spondæo.

Idq; — ejus. Periodus δίκωλος μακρόκωλος.

Quibus — constitatum. Hic connectitur oratio εἰρομένη cum periodica, ornatur occupatione.

Sed hoc ipsum — placatius ferre. Membrum flexuosum.

Quare mihi — non futurum. Periodus τρίκωλος clausa ditrochæo.

Quando quid — oratione. Periodus τετράκωλος breviorum membrorum, terminata ditrochæo.

Etsi tantum — *esses.* Periodus τετράκωλος cujus medium membrum propter ἐπεμβολὰς est flexuosum.

Eadem — *adduxit.* Periodus δίκωλος ἰσόκωλος, figurata ὁμοιοτελεύτῳ ut & metaphora.

Sed tamen — *fratribus.* Membrum oblongum & flexuosum, clausum jambo præcedente spondæo.

Tu fac — *deberes.* Περιοδικὸν molosso terminatum & noëmate ornatum. Oratio ἀστεϊσμὸν habens aliquid urbanitatis.

M. T. C. Dolabellæ S. P. D.

(ep. 14. l. 9.)

III.

Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, satisq; ex ea magnam lætitiam, voluptatemq; capiebam: tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd vulgò hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Neminem conveni, (convenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis cau-

sa

se in hac loca veniant: praeterea ex municipiis frequentes necessarii mei) quin omnes, cùm te summis laudibus ad cœlum extulerint, mihi continuò maximas gratias agant. Negant enim se dubitare, quin tu meis praeceptis & consiliis obtemperans, praestantissimum te civem, & singularem consulem praebeas. Quibus ego quanquam verissimè possum respondere, te, quae facias, tuo judicio, & tua sponte facere, nec cujusquam egere consilio: tamen neq; planè assentior, ne imminuam laudem tuam, si omnis à meis consiliis profecta videatur: neq; valde nego. Sum enim avidior etiam quam satis est gloriae. Est tamen nō alienum à dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni regum regi fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem: mihi verò gloriosum, te juvenē Consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinae meae. L. quidem Caesar, cùm ad eum aegrotum Neapolim venissem, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen antè quàm me planè salutavit: O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cùm tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, jam salvi esse possemus. Dolabella verò tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem post te consulem, solum possumus verè consulem dicere. Deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil praeclarius actum unquam, nihil reipublicae salutarius. Atq; haec una vox omnium est. A te autem peto, ut me hanc quasi falsam haereditatem

tem aliena gloria finas cernere: neq; aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiare. Quanquam, mi Dolabella (hæc enim jocatus sum) libentius omneis meas, si modò sunt aliquæ meæ laudes, ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis. Nam cùm te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti: tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim (mihi crede) virtute formosius, nihil pulchrius nihil amabilius. Semper amavi (ut scis) M. Brutum, propter ejus summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem, atque constantiam: tamen Idibus Martiis tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quòd mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. Quare quid est, quod ego te horter, ut dignitati, & gloriæ servias? proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quàm teipsum, te imitere oportet: tecum ipse certes: nec licet quidem tibi jam tantis rebus gestis non tui similē esse. Quòd cùm ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset,

&

& cùm bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset gratularer felicitati tuæ: sed contigit magnitudine cum animi, tum etiam ingenii, atq; consilij. Legi enim concionem tuam: nihil illa sapientius. Ita pedetentim, & gradatim, tum accessus à te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animadvertendi omnium concessu daret. Liberasti igitur & urbem periculo, & civitatem metu: neque solùm ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum. Quo facto intelligere debes in te positam esse Rempublicam, tibiq; non modò tuendos, sed etiam ornandos esse illos viros, à quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coràm plura propediem, ut spero. Tu, quando Rempubl. nosq; conservas, fac ut diligentissimè te ipsum mi Dolabella custodias. Vale.

Analysis Rhetorica.
De Inventione.

EPistola hæc est generis demonstrativi gratulatoria, exquisitè admodum accuratèque conscripta; cujus exemplum Attico postea suo misit, ut liquet è lib. 14. ad Atticum.

Gratulatur autem Dolabellæ fortitudinem & prudentiam, quod & columnam & aram

Cæsari mortuo erectam everterit, & in eos animadverterit, qui Cæsari occiso statuam poni curaverant.

Est ergo conclusio demonstranda hujusmodi:

Ergo tuum factum est laude dignissimum, vel, *Ob factum tuum magnopere es laudandus*.

Jam respiciatur ad λόγȢς, ἤθη καὶ πάθη, h. e. argumenta *docentia*, *delectantia*, *moventia*.

Argumenta *docentia* sumuntur e loco generis demonstrativi proprio, *honesto* scilicet, cujꝰ πρότασεις Aristoteles recenset. 1. Rh. c. 9.

Argumenta *delectantia* ita se habent, ut *gratiam* sibi conciliet Cicero apud Dolabellam, & *modestiam* suam, *prudentiam*, *amorem*, *lætitiam* subinde significet.

Moventia argumenta *lætitiam* cumprimis & *amorem* respiciunt.

Perlustremus totam Epistolam, quoquidque argumentum pertineat, digito quasi demonstrantes.

Etsi contentus eram — consulem præbeas. Hic habes elegantem *moratam* orationem, exhibentem veluti in speculo animi Ciceroniani inclinationem. Dicit Cicero, se magnam lætitiam capere ex Dolabellæ gloriâ:

Nam

Nam φίλ☉ ἐστὶν, ὁ συνηδόμενο☉ τοῖς ἀγαθοῖς καὶ συναλγῶν τοῖς λυπηροῖς, μὴ διὰ τὰ ἕτερον, ἀλλὰ δι' ἐκεῖνον. *Amicus est, qui una gaudet bonis, doletque alterius, nullam aliam ob causam, nisi propter illum* 2. Rh. c. 4. §. 4.

Porro dicit, quod *vulgo opinione hominum adscriptus sit Dolabellæ laudibus*; h. e. quod particeps factus sit laudis Dolabellæ. His verbis pergit *amorem* suum in Dolabellam ostendere: nam φίλοι εἰσὶ οἷς ταὐτὰ καὶ ἀγαθὰ καὶ κακά. *Amici sunt, quibus eadem bona sunt & eadem mala*. 2. Rh. c. 4. §. 6.

Quibus ego — gloriæ. Hic laudat Dolabellam, quod suo judicio & sponte sua omnia agat, nec cujusquam indigeat consilio. Laudare autem alterum, ita ut ne adulatio pelluceat, *mores* scribentis indicat, *benevolentiamque* conciliat.

Cùm dicit se *nolle profiteri, à suis consiliis omnem Dolabellæ laudem profectam esse*, illud *modestiam* Ciceronis arguit.

Quando autem addit, se *avidiorem etiam, quàm satis est, esse gloriæ*, ἦθ☉ est Ciceroni peculiare.

Est tamen — disciplinæ meæ. Amplificatio est seu illustratio ex loco *similium*.

Quod uni similium convenit, idem convenit & alteri.

Agamemnoni erat honestum, habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem,

E. *& Dolabellæ erit honestum, habere aliquem in consiliis capiundis Ciceronem.*

L. quidem Cæsar — omnium est. Omnia hæc faciunt ad *amorem* L. Cæsaris erga Dolabellam uberius significandum. ϰ τοὺς φιλοῦντας, οὓς αὐτοὶ φιλοῦσι. *Amamus autem eos, qui amant quos ipsi amamus.* 2. Rh. c. 4. §. 9. item §. 18. Καὶ τοὺς ἐπαινοῦντας τὰ ὑπάρχοντα ἀγαθά. *Amant eos, qui laudant bona quæ in ipsis sunt.*

Tum nihil magnificentius — salutarius. Fluit hoc ex libri 1. cap. 9. §. 44. Εἰ παρὰ τὸ προσῆκον ἐπὶ τὸ βέλτιον ϰ τὸ κάλλιον. *Si quid melius ac pulchrius actum est, quàm convenire videbatur.*

A te autem peto — ardentius. Amplior *amoris* Ciceroniani erga Dolabellam declaratio. *Amant verè, qui dexteritatem in jocando non reticent.* 2. Rh. c. 4. §. 17.

Si modò sunt aliqua meæ laudes. Hæc *modestiam* Ciceronis spirant.

Nihil est — amabilius. Γνῶμαι faciunt orationem *moratam*, indicant enim *eruditionem* & *prudentiam* scribentis. 2. Rh. c. 21. §. 4.

Sem-

Semper amavi M. Brutum — dilexisse. M. Brutus erat interfector Cæsaris, quem cum Dolabella amaret, Cicero quoque eundem se vehementer amare hic ostendit. è §. 9. c. 4. *Amant eos, qui eos amant, quos ipsi amant.*

Tu M. Brutum vehementer amas,

Eundem ego vehementer amo.

E. *non possum te quoque non vehementer amare.*

Quare quid est — utendum est. Hic jam incipit λόγυς adhibere, Dolabellamque cum aliis comparare, qui locus τὸ πρὸς ἄλλυς ἀντιπαραβάλλειν *cum aliis comparare* dicitur. 1. Rh. c. 9. §. 60. Amplum enim & præclarum quiddam est, præstare præstantibus viris, quare hortatur eum, ut non cum aliis, quos non habebat præstantiores, sed secum ipse certare velit.

Contigit enim — gratissima. Τὰ τῷ μόνῳ ὑπάρχοντα, *quæ unius sunt propria, sunt laudabilia* §. 33. citati capitis. *Tibi soli contigit, ut severitas animadversionis fuerit omnibus & singulis gratissima.*

Hoc si tibi — daret. Ἴδιον ἐστι τῦ σπυδαίυ τὸ κατὰ προαίρεσιν *proprium est viri boni consulto agere* è §. 64. citati capitis.

Libe-

Liberasti igitur — *exemplum.* Τὰ ἀπ' ἀρετῆς γιγνόμενα, *quæ à virtute proficiscuntur sunt honesta.* 1. Rh. 9.

Intelligere — *custodias.* Claudit epistolam *amicâ* & *moratâ* adhortatione.

De Elocutione.

ETsi contentus — *laudibus.* Περιοδικὸν, περιοδικὰ quinque membrorum, sed brevium, ad τετρακωλίαν commodè referuntur.

Neminem conveni — *gratias agant.* Est periodus τετράκωλος, cui injecta est longa μεγαλολογία aliquot membrorum.

Negant enim — *prabeas.* Est periodus τετράκωλος ἄνισος.

Quanquam ego — *gloria.* Est περιοδικὸν aliquot membrorum.

Est tamen — *disciplina meà,* Oratio εἰρομένη.

L. quidem Cæsar — *esse possemus.* Est περιοδικόν.

Dolabellæ — *dicere.* Oratio εἰρομένη.

Deinde — *salutarius.* Est Oratio membratim procurrens.

Atq; hac — *est.* Membrum.

A te

A te autem — patiare. Oratio ἀεῤῥύπη, jugis & pendens.

Quanquam — ex tuis. Periodus δίκωλ@ βραχύκωλ@, habens ἐπεμβολάς.

Nam — ardentius. Est periodus τετράκωλ@ admodum conspicua.

Nihil est — amabilius. Est Oratio incisim procurrens.

Semper — videbatur. Periodus τετράκωλ@ metaphora insignis.

Tantum accessit — dilexisse. Τρίκωλ@, in qua jucunda est distinctio verborum *amare* & *diligere*, oppositio item temporis præteriti & præsentis.

Proponam — hortantur. ἀεῤῥύπη.

Neminem habeo — ipsum. Periodus simplex.

Te imitere — similem esse. Membratim procurrens dictio.

Quod cum — utendum est. Τρίκωλος ἰσοσκελής.

Hoc si tibi — consilii. Τετράκωλος πολυπλώτῳ ornata.

Legi — sapientius. Membratim.

Ita pedetentim — claret. Δίκωλος βραχύκωλος metaphoram habens.

Li-

Liberasti — *exemplum.* Duæ μονόκωλοι.
Quo facto — *profectum est.* Περιοδικόν.
Tu quoniam — *custodias.* Δίκωλος μακρόκωλος.

M. T. C. Planco Imp. Conſ. Deſi. S. D.

(ep. 10. l. 10. vulgat. edit.)

IV.

ETſi ſatis ex Furnio noſtro cognoveram, quæ tua voluntas, quod conſilium de Republ. eſſet: tamen lectis tuis literis, liquidius de toto ſenſu tuo judicavi. Quamobrem quanquam in uno prælio omnis fortuna reipubl. diſceptat, quod quidem, cùm hæc legeres, jam decretum arbitrabar fore: tamen ipſa fama, quæ de tua voluntate percrebuit, magnam es laudem conſecutus. Itaque ſi conſulem Romæ habuiſſemus, declaratum eſſet à Senatu cum tuis magnis honoribus, quàm gratus eſſet conatus & apparatus tuus. Cujus rei non modò non præteriit tempus, ſed ne maturum quidem etiamnum, meo quidem judicio fuit. Is enim deniq; honos mihi videri

deri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita claris viris defertur & datur. Quare sit modò aliqua respubl. in qua honos elucere possit, omnibus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis. Is autem, qui verè appellari potest honos, non invitamentum ad tempus, sed perpetuæ virtutis est pramium. Quamobrem, mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem: subveni patriæ: opitulare collegæ: omnium gentium consensum, & incredibilem conspirationem adjuva. Me tuorum consiliorum adjutorem, dignitatis fautorem, omnibus in rebus tibi amicissimum fidelissimumq; cognosces. Ad eas enim causas, quibus inter nos amore sumus, officiis, vetustate conjuncti, patriæ charitas accessit: eaq; effecit, ut tuam vitam anteferrem meæ. Quarto Calend. Aprilis. Vale.

Analysis Rhetorica.

De Inventione.

Epistola hæc est generis demonstrativi laudatoria: laudat enim Cicero voluntatem & studium Planci erga Remp. ostenditque, non cariturum eum præmiis, si modò aliqua superfutura sit Reip. facies.

Exordium valdè eſt ἠθικὸν, totum fere in laudatione conſiliorum Planci occupatum, quo ipſo *benevolentiam* ſibi conciliat.

Propoſitio epiſtolæ hæc eſt:

Meriti honores, à Senatu hactenus nondum decreti, decernendi tamen, tibi glorioſi erunt.

Confirmationis 1. argumentum depromtum eſt è *loco communi* τοῦ ἐσομένου *futuri*. 2. Rh. c. c. 19. §. 33.

Tempus non planè præteriit, ſed futurum aliquando erit, quo tibi decernentur honores, nunc enim, meo judicio, nondum maturum eſt. E.

2. Argumentum deſumtum eſt ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ è *definitione* veri honoris, 2. Rhet. c. 23. §. 27.

Verus honos eſt præmium virtutis & meritorum perpetuorum, non invitamentum ad tempus: Verus honos non propter ſpem futuri beneficii, ſed propter magna merita claris viris defertur & datur. E. *Et tu conſequere honorem, ſi bene de Rep. merebere, quod tibi longè erit glorisſiiſimum.*

Clauſula habet cohortationem ad opem ferendam Reip. & Collegæ, qua in re ſuam ei operam & induſtriam promittit, & *amorem* in eum teſtatur, quod itidem ἠθικὸν eſt. 2. Rh. 4. §. 2. *Me tuorum conſiliorum adjutorem, dignitatis*

tatis fautorem, omnibus in rebus tibi amicissimum fidelissimumq; cognosces &c.

Elocutio ex inspectis periodis patebit:

Etsi satis — judicavi. Periodus τείκωλ☉, clausa quasi ditrochæo, ornata metaph.

Quamobrem quamquam — consecutus. Τείκωλ☉ ἄνισ☉, πρότασιν habens duorum & ἀπόδοσιν unius membri. Ornatur metaphora desinit in ditrochæo.

Itaque si — apparatus tuus. Τείκωλ☉ ἰσόκωλος.

Cujus rei — judicio fuit. Δίκωλ☉ μακρόκωλ☉ ornatum habens à translatione.

Is enim deniq; — datur. Δίκωλ☉ μακρόκωλ☉ γνωμολογική.

Quare sit modò — abundabis. Τείκωλ☉ metaphora insignita. Notandum hic quomodo unius generis periodi istæ à se invicem sint distinctæ.

Is autem — anteferrem mea. Oratio partim membratim procurrens, partim ἀφελής, membra enim nonnulla seorsum sententiam perficiunt, nonnulla verò per pronomina relativa & conjunctiones copulativas naturali ductu connectuntur.

Cn. Plancus Imp. Con. Def. Cic. S. P. D

(ep. 11. l. 10.)

V.

IMmortaleis ago tibi gratias, agamq; dum vivam: nam relaturum me, affirmare non possum. Tantis enim tuis officiis non videor mihi respondere posse: nisi forte (ut tu gravissimè, disertissimeq; scripsisti) ita sensurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Si de filii tui dignitate esset actum, amabilius certè nihil facere potuisses. Prima tua sententia infinitis cum muneribus, posteriores ad tempus, arbitriumq; amicorum meorum composita, oratio assidua & perpetua de me, jurgia cum obtrectatoribus propter me, notissima mihi sunt. Quare non mediocris adhibenda mihi est cura, ut Reipublicæ me civem dignum tuis laudibus præstem, in amicitia tua memorem atque gratum. Quod reliquum est, tuum munus tuere, & me, si quem esse voluisti, eum exitu rebusque cognoscis, defende ac suscipe. Cùm Rhodanum copias trajecissem, fratremq; cum tribus millibus equitum præmisissem, ipse iter ad Mutinam dirigerem, in itinere, de prælio facto, Brutoq; & Mutina obsidione liberatis, audivi, Animadverti

nullum

nullum alium receptum Antonium, reliquasq; quæ cùm eo essent, habere, nisi in his partibus: duasq; ei spes esse propositas: unam Lepidi ipsius, alteram exercitus: quòd quædam pars exercitus non minus furiosa est, quam qui cum Antonio fuerunt, equitatum revocavi: ipse in Allobrogibus constiti, ut proinde ad omnia paratus essem, ac res memoneret. Si nudus huc se Antonius conferet, facilè mihi videor per me sustinere posse, remq; publicam ex vestra sententia administrare, quamvis ab exercitu Lepidi recipiatur. Si verò copiarum aliquid secum adducet; etsi decima legio veterana, quæ nostra opera revocata cum reliquis est, ad eundem furorem redierit: tamen ne quid detrimenti fiat, dabitur opera à me: idq; me præstiturum spero, dum istinc copiæ trajiciantur: conjunctaq; nobiscum facilius perditos opprimant. Hoc tibi spondeo mi Cicero, neq; animum, nec diligentiam mihi defuturam. Cupio mehercules nullam residuam sollicitudinem esse: Sed si fuerit, nec animo, nec benevolentia, nec patientia cujusquam pro vobis cedam. Do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad hujus rei societatem incitem: omniaq; ei obsequia polliceor, si modò rempublicam respicere volet. Utor in hac re adjutoribus, interpretibusq;, fratre meo, & Laterense, & Furnio nostro. Non me impedient privatæ offensiones, quo minus pro reipublica salute, etiam cum inimicissimo consentiam. Quòd si nihil profecero, nihilo-

hilominus maximè ſum animo: & majore fortaſſe, cùm mea gloria vobis ſatisfaciam. Fac valeas, meq; mutuò diligas.

Analyſis Rhetorica.

ET hæc demonſtrativi eſt generis epiſtola, dupliciſque argumenti, partim enim *gratias agit* pro magnis ſibi à Cicerone præſtitis officiis, partim *explicat ſua conſilia* de bello adverſus Antonium.

Gratiarum actio tres habet partes;

1. Significationem lætitiæ ex acceptis beneficiis obortæ. 1. Rh. c.11. §. 12.
2. Exaggerationem ipſorum beneficiorum, ex 2. Rh. c. 7. §. 2. Μεγάλη, ἢ μεγάλων ἢ χαλεπῶν.

Magna debetur gratia, ſiautma gna aut difficilia (beneficia, officia)

Tanta ſunt tua in me officia, ut iis reſpondere non poſſim. Prima tua ſententia infinitis cum muneribus, poſteriores ad tempus arbitriumq; amicorum meorum compoſita, oratio aſſidua & perpetua de me, jurgia tua cum obtrectatoribus propter me notiſſima mihi ſunt.

3. Pollicitationem grati animi.

Non

Non mediocris mihi adhibenda est cura, ut Reip. me civem dignum tuis laudibus præstem, in amicitia tua memorem atq; gratum.

Jam post brevem petitionem exponere incipit expeditiones suas & consilia de bello adversus Antonium gerendo, ubi maxima dat *prudentiæ* suæ militaris, & circumspectionis signa.

Claudit epistolam *morata oratione*, nimirum, *neq; animum neq; diligentiam sibi defuturam, sed omnia se propter Reip. salutem facturum, daturumq; operam, ut Lepidum etiam ad ejus rei societatem incitet &c.* 2. Rh. 4.

Elocutio ita comparata est, ut alia dictio membris constet seorsum sententiam absolventibus, alia membris naturali ductu connexis, alia denique membris flexum & rotunditatem habentibus.

Flexus apparebit in sequentibus:

Si de filii — potuisses. Periodus δίκωλος fere ἰσόκωλος.

Cùm Rhodanum — audivi. Τετράκωλος, cujus πρότασις trium, ἀπόδοσις unius membri est. Ornatum habet ab ὁμοιοτελεύτῳ.

Animadverti — his partibus. Unimembris.

 Si

Si nudus — recipiatur. Τελεόκωλος metaphora exornata.

Si verò — opera à me. Δίκωλος cum ἐπανθέσει.

Sed si — vobis cedam. Δίκωλος μακρόκωλος habens anaphoram.

Quod si nihil — satisfaciam. Τρίκωλος πολυπλόκῳ ornata.

Reliqua dictio vel εἰρομένη, vel membratim procurrens, & si quæ sint utriusque forte ornamenta, unicuique per se facile patebunt,

Cicero Planco Imp. Conſ. deſ. S. D.

(ep. 12. l. 10.)

VI.

ETſi Reip. cauſa maximè gaudere debeo, tantum ei te præſidii, tantum opis attuliſſe extremis penè temporibus: tamen ita te victorem complectar republ. recuperata, ut magnam partem mihi lætitiæ tua dignitas afferat: quam & eſſe jam, & futuram ampliſſimam intelligo. Cave enim putes, ullas literas unquam gratiores, quam tuas, in ſenatu

natu esse recitatas. Idq; contigit, tum meritorum tuorum in Remp. eximia quadam magnitudine, tum verborum, sententiarumq; gravitate. Quod mihi quidem minimè novum, qui & te nossem, & tuarum literarum ad me missarum promissa meminissem, & haberem à Furnio nostro tua penitus consilia cognita: sed senatui majora visa sunt, quàm erant expectata: non quod unquam de tua voluntate dubitasset: sed nec, quantum facere posses, nec quò progredi velles, exploratum satis habebat. Itaque cùm ad VIII. Idus Aprilis manè mihi tuas literas Marcus Varisidius reddidisset, easq; legissem, incredibili gaudio sum elatus. Cumq; magna multitudo optimorum virorum & civium me de domo deduceret, feci continuo omneis participes meæ voluptatis. Interim ad me venit Munatius noster, ut consueverat: & ego ei literas tuas ostendi: Nihildum enim sciebat, nam ad me primùm Varisidius: idq; sibi à te mandatum esse dicebat. Paulò post idem mihi Munatius eas literas legendas dedit, quas ipsi miseras, & eas quas publicè. Placuit nobis, ut statim ad Cornutum prætorem urbis literas deferremus: qui, quòd Consules aberant, consulare munus sustinebat more majorum. Senatus est continuò convocatus, frequensq; convenit propter famam atq; expectationem tuarum literarum. Recitatis literis, oblata religio Cornuto est, pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspiciis operam dedisse: idq; à nostro

collegio comprobatum est. Itaq. res dilata est in posterum. Eo autem die magna mihi fuit pro tua dignitate contentio cum Servilio: qui cùm gratia effecisset ut sua sententia prima pronunciaretur, frequens eum senatus reliquit, & in alia omnia discessit: meaq. sententia, quæ secunda pronunciata erat, cùm frequens assentiretur senatus, rogatu Servilii P. Titius intercessit. Res in posterum dilata. Venit paratus Servilius, Jovi ipsi iniquus, cujus in templo res agebatur. Hunc quemadmodum fregerim, quantaq. contentione Titium intercessorem abjecerim, ex aliorum te literis malo cognoscere. Unum ex meis: senatus gravior, constantior, amicior tuis laudibus esse non potuit, quàm tum fuit. Nec verò tibi senatus amicior, quàm cuncta civitas. Mirabiliter enim populus Rom. universus, & omnium generum ordinumq. consensus ad liberandam Remp. conspiravit. Perge igitur, ut agis, nomenq. tuum commenda immortalitati: atq. hæc omnia, quæ habent speciem gloriæ, collecta inanissimis splendoris insignibus, contemne: brevia, fugacia, & caduca existima. Verum decus in virtute positum est, quæ maximè illustratur magnis in Rempub. meritis. Eam facultatem habes maximam: quam quando complexus es, & tenes, perfice, ut ne minus Resp. tibi, quàm tu Reipublicæ debeas. Me tuæ dignitatis non modò fautorem, sed etiam amplificatorem cognosces. Id tum Reipub. quæ mihi est mea vita charior, tum nostra necessitudini

ces-

cessitudini debere me judico. Atq; in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam voluptatem, quòd benè cognitam mihi T. Munatii prudentiam & fidem, magis etiam perspexi in ejus incredibili erga te benevolentia & diligentia. Quarto Idus Aprilis. Vale.

Analysis Rhetorica.

Est hæc Epistola in genere demonstrativo gratulatoria. Gratulatur autem Planco conciliatam literis publicè missis Senatus populique R. benevolentiam.

Gratulationis partes animadvertuntur tres:

I. Significat, quantam lætitiam tum ipse, tum Senatus ceperit ex mirifica ejus erga Remp. volunrate, prospero successu, amplissimaque ejus dignitate.

II. Ut justa hujus lætitiæ causa intelligatur, ostendit magnitudinem boni, quod videlicet virtute & multis in Remp. meritis id ipsi contigerit. Ubi pluribus verbis commemorat, quid ex literis ejus in Senatu actum sit, & quem pro eo adhibuerit laborem animique contentionem.

Fluunt illa omnia ex lib. 1. Rh. c. 11. §. 12. de *jucundo.* Cujus quidem capitis *προτάσεις*

 affe-

affectui etiam *lætitiæ* contestando maximè sunt accommodatæ.

Ἀνάγκη ἐςὶ πάντα τὰ ἡδέα, ἢ ἐν τῷ αἰσθάνεσθαι εἶναι παρόντα, ἢ ἐν τῷ μεμνῆσθαι γεγενημένα, ἢ ἐν τῷ ἐλπίζειν μέλλοντα. *Necesse est omnia suavia eò delectare, quod aut præsentia sentiantur, aut hæreant in memoria, cum præterierint, aut spe præcipiantur futura.*

Habeo cognita penitus consilia tua, memini promissa literarum tuarum; optimi cives me dè domo deduxerunt, eos feci participes meæ voluptatis. &c. Munatius noster literas, quas ipsi miseras, & quas publicè, mecum communicavit. Detulimus literas tuas ad prætorem urbis. Senatus est convocatus, recitatæ tuæ literæ &c. (Ἐν τῷ μεμνῆσθαι γεγενημένα ἡδύ) Magna mihi fuit pro tua dignitate contentio cum Servilio &c. *Hunc fregi, Titium abjeci, Senatus tuis laudibus amicior esse non potuit, quàm fuit, &c.* (Ἐν τῷ μεμνῆσθαι γεγενημένα ἡδύ.)

III. Ad defendendam industriè Remp. Plancum magnopere cohortatur.

Perge, ut agis, efficaciter Remp. defendere.

1. Persuasionis argumentum desumtum estè 1. Rh. c. 5. §. 3. & 6. τὰ παρασκευάζοντα τὴν ἀρετὴν, πράττειν, τὰ δὲ φθείροντα, μὴ πράττειν. *Quæ faciunt ad parandam virtutem, ea sunt agenda;*

da; quæ autem tollunt virtutem, ab iis abstinendum.

Verum decus non paratu rinanissimis splendoris insignibus, nec in specie gloriæ consistit, sed in sola positum est virtute. Virtus paratur illustraturq; magnis in Remp. meritis.

2. Petitum est è lib. I. Rh. c. 6. §. 36. τὰ ῥαδίως γιγνόμενα. *Quæ facile fieri possunt.*

Habes ad verum decus acquirendum facultatem maximam, quam quando complexus es, tene, perfice &c.

Claudit epistolam *moratâ* oratione: dum Planci dignitati fautorem & amplificatorem se offert, idque tum Reip. tum mutuæ amicitiæ se debere ait; item dum indicat suam, quam ex collatis ad dignitatem Planci curis ceperat *lætitiam.*

Considerandajam & *Elocutio*:

Etsi Reip. — *intelligo.* Periodus est τετράκωλος, πρότασιν habens duorum, & ἀπόδοσιν totidem membrorum; reversio periodi jam facta est in verbo *affert*, cui per ἐπισύναψιν membrum aliud est annexum. Ornatur metaphora, anaph. & occupatione.

Cave putes — *recitatas.* Μονόκωλος.

Idque contigit — gravitate. Δίκωλ☉ βραχύκωλ☉ metaphora insignita.

Quod mihi — cognita. Εἰρομένη dictio ornata polysyndeto.

Sed Senatui — exspectata. Μονόκωλ☉.

Non quod — habebat. Δίκωλ☉ μακρόκωλ☉.

Itaq, cùm — elatus. Δίκωλ☉ βραχύκωλ☉ habens hyperbolen.

Cumq, magna — voluptatis. Δίκωλ☉ itidem βραχύκωλ☉.

Interim ad me venit — res agebatur. Εἰρομένη λέξις, cujusmodi convenit narrationi.

Hunc quemadmodum — cognoscere Τετράκωλ☉ metaph. & ὁμοιοτελεύτῳ decora.

Senatus gravior — civitas. Duæ μονόκωλοι.

Mirabiliter — conspiravit. Membrum oblongum.

Perge igitur — diligentia. Sunt tracta, naturali quippe ductu commata & cola connectuntur. Venustissima est γνώμη *de vero decore in virtute posito*: jucunda item ἐπάνοδ☉, *perfice, ut non minus Resp. tibi, quàm tu Reip. debeas.*

M. Le-

M. Lepidus Imp. item Pont Max. S. D. Senat. popul. plebique Romanæ.

(ep. 35. l. 10.)

VII.

SI vos liberiq; vestri valetis, bene est, ego quoque valeo. Deos, hominesq; testor, Patres conscripti, qua mente, & quo animo semper in Rempublicam fuerim, & quàm nihil antiquius communi salute ac libertate judicârim. Quod vobis brevi probassem, nisi mihi fortuna proprium consilium extorsisset. Nam exercitus cunctus consuetudinem suam in civibus conservandis, communiq; pace, seditione facta, retinuit, meq; tantæ multitudinis civium Romanorum salutis, atq; incolumitatis causam suscipere, ut verè dicam, coëgit. In quare ego vos, Patres conscripti, oro, atq; obsecro, ut privatis offensionibus omisis, summæ reipubl. consulatis, neve misericordiam nostram, exercitusq; nostri in civili dissensione sceleris loco ponatis. Quod si salutis omnium, ac dignitatis rationem habueritis, melius & vobis, & reipublica consuletis. Data IIII. Calendas Aprilis, à Ponte Argenteo. Valete.

Ana-

Analyſis Rhetorica.
De Inventione.

LEpidus propter receptum Antonium perfidiæ ac ſceleris accuſatus excuſat ſe hac epiſtola Senatui P. Pl. Q. R. Pertinet adeoque illa ad ſtatum *purgationis*.

Intentio adverſariorum Lepidi talis fuerit: *Tu, Lepide, ſcelerato & perfidioſo in Romanos animo cum Antonio hoſte noſtro pacem fecisti.*

Lepidi *depulſio*: *Feci id quidem, at non feci dolo malo.*

Id inde probat,

1. Quod illius, cujus accuſetur, nullam prorſus habuerit *voluntatem*. 1. Rh. 10. §. 5.

   Ecquem veſtrûm latet integritas mea? Deos hominesq; teſtor, qua mente & quo animo ſemper in Remp. fuerim, & quàm nihil antiquius communi ſalute & libertate judicarim; abſit, ut Reip. ullam machinatus ſim calamitatem.

2. Quod ad pacem cum Antonio faciendam *fortuna* eum impulerit. 1. Rh. 10. §. 26.

Niſi

Nisi mihi fortuna proprium consilium extorsisset, h. e. ni fortuna fecisset, ut consilium de oppugnando Antonio invitus mutassem, *probassem vobis, quâ sim erga vos mente atq; animo.*

3. Quod facere id *necessitate* coactus sit. 1. Rh. c. 10. §. 28.

Exercitus cunctus consuetudinem suam in civibus conservandis communiq; pace, seditione facta, retinuit; meq; tantæ multitudinis civium Rom. salutis atq; incolumitatis causam suscipere, ut verè dicam, coegit.

Conclusione placare Senatum P. Q. R. studet è 2. Rh. 3. §. 11. *Lenes sumus erga eos, qui preces adhibent,* (τοῖς δεομένοις)

Oro atq; obsecro vos, P. C. ne misericordiam nostram sceleris loco ponatis.

De Elocutione.

D*Eos hominesq;* — *judicarim.* Periodus τετράκωλος solutior. Ornata ὁμοιοτελεύτῳ & polyptoto.

Quod vobis — *extorsisset.* Δίκωλος μακρόκωλος metaphora ornata.

Nam exercitus — *coegit.* Oratio περιοδική, ῥητορική.

In qua re — *loco ponatis.* Εἰσομβρόνη habens ὁμοιοτέλευτον.

Quod si — *consuletis.* Δίκωλος βραχύκωλος.

Ordinis est, quod verbo clausæ sint sentententiæ omnes.

M. T. C. C. Antonio M. Filio Imperatori S.P.D.

(ep. 5. l. 5.)

IIX.

Etsi statueram nullas ad te literas mittere, nisi commendatitias, non quòd eas intelligerem satis apud te valere; sed ne iis, qui me rogarent aliquid de nostra conjunctione imminutum esse ostenderem: tamen cùm T. Pomponius homo omnium meorum in te studiorum, & officiorum maximè conscius, tui cupidus, nostri amantissimus, ad te proficisceretur, aliquid mihi scribendum putavi, præsertim cùm aliter ipsi Pomponio satisfacere non possem. Ego si abs te summa officia desiderem, mirum nemini videri debeat. Omnia enim à me in te profecta sunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem,

norem, quæ ad dignitatem pertinerent. Pro iis rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis. Contra etiam esse aliquid abs te profectum, ex multis audivi: nam comperisse me, non audeo dicere, ne fortè id ipsum verbum ponam, quod abs te ajunt falsò in me solere conferri. Sed ea, quæ ad me delata sunt, malo te ex Pomponio, cui non minus molesta fuerunt, quàm ex meis literis cognoscere. Meus in te animus quàm singulari officio fuerit, & Senatus & populus Romanus testis est: tu quàm gratus erga me fueris, ipse existimare potes: quantum mihi debeas, cæteri existiment. Ego quæ tua causa antea feci, voluntate sum adductus, posteaq; constantia. Sed reliqua mihi crede, multò majus meum studium majoremq; gravitatem, & laborem desiderant. Quæ ego si non profundere, ac perdere videbor, omnibus meis viribus sustinebo: sin autem ingrata esse sentiam, non committam, ut tibi ipse insanire videar. Ea quæ sint, & cujusmodi, poteris ex Pomponio cognoscere. Atq; ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut quanquam ipsius causa confido te facturum esse omnia: tamen abs te hoc petam, ut si quid in te residet amoris erga me, id omne in Pomponii negotio ostendas. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

Analysis Rhetorica.

De Inventione.

EXpostulat Cicero cum Antonio admo-

dum iracundè & vehementer de ingrato ejus erga se animo, beneficiorumq; omnium plane immemori.

Status epistolæ est: *Tu pro multis à me acceptis beneficiis nullam mihi retulisti gratiam.*

Præmittitur *exordium ab occasione scribendi: Adductus Attici precibus hæc ad te scripsi.*

Sequuntur argumenta confirmationis *pudorem* moventia.

I. è 2. Rh. c. 6. §. 5. Ὅσα ἀπὸ κακίας ἔργα ἐστίν. *Quæcunque à vitio proficiscuntur.*

Omnia à me in te profecta sunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent. Pro illis nulla mihi abs te relata est gratia. (Ingrati animi justa exprobratio pudorem incutit.)

II. è 1. Rh. 10. §. 3. & 5. ἀδικεῖν ἐστὶ βλάπτειν ἑκόντα παρὰ τὸν νόμον. *Injuriam facere est sponte lædere adversus legem,* (propriam & communem) Hujus autem injuriæ duo sunt principia, *improbitas & incontinentia. Major autem injuria est, si quis eum læsit, à quo beneficium acceperat,* (ὑφ' οὗ εὖ πέπονθε 1. Rh. c. 14. §. 18.)

Non solum nulla mihi abs te relata est gratia, sed contra etiam aliquid abs te est profectum, i. e. pro beneficiis maleficia reddidisti.

III. Hinc quàm singulari suus in Antonium animus semper fuerit officio, à *testibus* probat, 1. Rh. 15. §. 16. & 30.

Meorum in te ſtudiorum & officiorum conſcius eſt Atticus, teſtis eſt Senatus, teſtis populus Rom.

Ἦθος *probitatis* ſpirat, quando in exordio de ſua ipſorum conjunctione nihil vult imminutum.

Benevolentiæ eſt, quod in epilogo majus etiam ſtudium, majoremq; gravitatem & laborem, ſi modò grata ſint, Antonio pollicetur.

Prudentiæ eſt, cum non commiſſurum ſe ait, ut profundere ac perdere beneficia ſua, atque ita Antonio inſanire videatur. Inſania enim quodammodo fuerit, ei benefacere, cui beneficia noſtra parùm ſint grata futura.

De Elocutione.

E*Tſi ſtatueram* — *ſatisfacere non poſſem.* Περιοδικὸν ὁμοιοτελεύτῳ ornatum. *Ordinis* eſt, quod in tora fere epiſtola verbo ſententiæ clauduntnr.

• *Ego ſi abs* — *debeat.* Periodus bimembris ſine breviori, habens *communicationem.*

Meus in te — *exiſtiment.* Περιοδικὸν ἐκτάκωλον, ἀντιθέσει figuratum.

Quæ ego ſi — *videar.* Τετράκωλος habens translationem in verbis *profundere ac perdere.*

Atq; ipsum — *ostendas.* Περιοδικὸν πεντάκωλον.

M. T. C. C Matio S. P. D.

(ep. 27. l. 11.)

IX.

Nondum satis constitui, molestiæne plus, an voluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo tum plenus officii, tum utriusque nostrum amantissimus. Nam cùm in Tusculanum vesperi venissem, postridie ille ad me, nondum satis firmo corpore cùm esset, manè venit. *Quem cùm objurgarem, quòd parum valetudini parceret: tum ille, nihil sibi fuisse longius, quàm ut me videret. Nunquid nam, inquam, novi? Detulit ad me querelam tuam: de qua prius quàm respondeo, pauca præponam. Quantum memoria repetere præterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior. Sed vetustas habet aliquid commune cum multis: amor non habet. Dilexi te, quo die cognovi, meq; à te diligi judicavi. Tuus deinde discessus, isq; diuturnus, ambitio nostra, & vitæ dissimilitudo, non est passa voluntates nostras consuetudine conglutinari. Tuum tamen erga me animum agnovi multis annis ante bellum civile, cùm Cæsar esset in Gallia. Quòd enim vehementer mihi utile esse putabas, nec inutile ipsi Cæsari, perfecisti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in suis. Multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiarissimè dicta, scripta, communicata sunt: graviora enim sunt consecuta. Et initio belli civilis cùm Brundusium versus ires ad Cæsarem, venisti ad me in Formianum. Primùm hoc ipsum quanti, præsertim temporibus illis? Deinde, oblitum me putas consilii, sermonis, huma-*

humanitatis tuæ? quibus rebus interesse memini Trebatium. Nec verò oblitus sum literarum tuarum, quas ad me misisti, cùm Cæsari obviam venissem in agro, ut arbitror, Trebulano. Secutum illud tempus est, cùm me ad Pompejum proficisci, sive pudor meus coëgit; sive officium, sive fortuna, quod officium tuum, quod studium vel in absentem me, vel in præsentes meos defuit? quem porro omnes mei & mihi, & sibi te amiciorem judicaverunt? Veni Brundusium: oblitumne me putas, qua celeritate, ut primum audieris, ad me Tarento advolaris? quæ tua fuerit assessio, oratio, confirmatio animi mei fracti communium miseriarum metu? Tandem aliquando Romæ esse cœpimus: quid defuit nostræ familiaritati? In maximis rebus quonam modo me gererem adversus Cæsarem, usus tuo consilio sum. In reliquis officiis cui tu tribuisti, excepto Cæsare, præter me, ut domum ventitares, horasq; multas sæpe suavissimo sermone consumeres? tum, cùm etiam, si meministi, ut hæc φιλοσοφέμενα scriberem, tu me impulisti. Post Cæsaris reditum, quid tibi majori curæ fuit, quàm ut essem ego illi quam familiarissimus? quod effeceras. Quorsum igitur hæc oratio longior, quàm putaram? quia sum admiratus, te, qui hæc nosse deberes, quicquam à me commissum, quod esset alienum nostra amicitia, credidisse. Nam præter hæc, quæ commemoravi, quæ testata sunt, & illustria, habeo multa occultiora, quæ vix verbis exequi possum. Omnia me tua delectant: sed maximè maxima cùm fides in amicitia, consilium, gravitas, constantia: tum lepos, humanitas, literæ. Quapropter redeo nunc ad querelam. Ego te suffragium tulisse in illa lege, primùm non credidi: deinde, si credidissem, nunquam id sine aliqua justa causa existimarem te fecisse. Dignitas tua facit, ut animadvertatur, quicquid facias: malevolentia autem hominum, ut nonnulla durius, quàm à te facta sint, proferantur. Ea si tu non audis, quid dicam, nescio. Equidem si quando

 audio,

audio, tam defendo, quàm me scio à te contra iniquos meos solere defendi. Defensio autem est duplex: Alia sunt, quæ liquido negare soleam: ut de isto ipso suffragio: Alia, quæ defendam à te piè fieri, & humanè: Ut de curatione ludorum. Sed te hominem doctissimum non fugit, si Cæsar rex fuerit, quod mihi quidem videtur, in utranq; partem de tuo officio disputari posse: vel in eam, qua ego uti soleo, laudandam esse fidem, & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas: vel in eam, qua nonnulli utuntur, libertatem patriæ, vitæ amici anteponendam. Ex his sermonibus, utinam essent delatæ ad te disputationes meæ. Illa verò duo, quæ maxima sunt laudum tuarum, quæ aut libentius, quàm ego, commemorat, aut sæpius: te, & non suscipendi belli civilis gravissimum autorem fuisse, & moderandæ victoriæ? in quo, qui mihi non assentiretur, inveni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio familiari nostro, qui mihi dedit causam harum literarum: quibus nisi credideris, me omnis officii, & humanitatis expertem judicaris: quo nec mihi gravius quicquam potest esse, nec à te alienius. Vale.

Analysis Rhetorica.
De Inventione.

HUjus epistolæ scopus si penitus cognoscatur, parebit, ad genus juridiciale eam pertinere. Matius enim cùm graviter esset questus, accusari se à Cicerone, tum quod in lege quadam Cæsaris suffragium tulisset, tum quod ludos mortuo Cæsari ab Octaviano datos curasset, Cicero respondet de hac querela, ita se excusans, ut neget alterum, alterum dicat, piè & humanè esse ab eo factum, Remp. tamen amico esse præferendum.

Huc

Huc omnis illa voluntatis suæ in Matium demonstratio, quæ alias generis est demonstrativi collineat.

Notanda ergô duplex Matii *intentio : Tu Cicero me accusas de lato in Cæsaris quadam lege suffragio : 2. me accusas de curatione ludorum funebrium in honorem Cæsaris.*

Antequam ad querelas hasce respondeat, nonnulla præponit, quibus suam erga Matium *voluntatem*, & Matii erga se *amorem* liquidò demonstrat. Argumentorum fontes reperies 2. Rh. c. 4.

Ex inciso quidem ejus capitis tertio: φίλος ἐστὶν ὁ φιλῶν καὶ ἀντιφιλούμενος. *Amicus est, qui amat & contra amatur.*

Quantum memoria repetere præterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior &c. Dilexi te, quo die cognovi, meq; à te disigi judicavi &c.

Ex inciso 24. φιλοῦμεν τοὺς πρὸς ἡμᾶς σπουδαίως ἔχοντας. *Amamus studiosos nostri.*

Tuum erga me animum agnovi multis annis ante bellum civile &c. quod mihi utile putabis perfecisti &c. non sum oblitus consilii, sermonis, humanitatis, literarum tuarum &c. non sum oblitus, quæ tua fuerit assessio, oratio, confirmatio animi mei fracti communium miseriarum metu &c.

Ex inciso 32. καὶ τοῖς ὁμοίως καὶ τοὺς ἀπόντας καὶ τοὺς παρόντας φιλοῦσι. *Amici sumus iis, qui & absentes & præsentes æquè amant.*

Nullum studiū vel in absentem me, vel præsentes meos defuit.

Ex inciso 8. καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς *Et talibus temporibus.*

Initio belli civilis quum Brundusium versus ires ad Cæsarem, venisti ad me in Formianum: primum hoc ipsum quanti, præsertim temporibus illis? Secutum est aliud tempus, quod studium tunc mihi defuit &c. quid defuit nostræ familiaritati cum Romæ essemus? &c.

Cum isthoc modo suum erga Matium, & Matii erga se *amorem* demonstrasset, incipit ad primam *intentionem* respondere,

1. Non fuisse sibi *voluntatem* eum accusandi, quod nullam habuerit ejus faciendi *causam*. 1. Rh. 10. §. 13. 17. & 2. Rh. 23. §. 89.

Non enim odi tuas actiones, sed *omnia me tua delectant, maximè maxima, cum fides in amicitia, consilium, gravitas, constantia, tum lepos, humanitas, literæ.*

2. Non credidisse se, Matium in illa lege suffragium tulisse, & si credidisset, non existimaturum tamen, *ipsum sine justa aliqua causa id fecisse.* Est hic moratus sermo benevolentiam Matii captans è 2. Rh. c. 10. §. 50. τὸ σοφὸν δοκεῖν εἶναι, ἡδύ *Sapientem videri suave.*

3. Adhibet modestam *translationem.*

Dignitas tua facit, ut animadvertatur, quidquid facias: malevolentia autem hominum, ut nonnulla durius, quàm à te facta sint, proferantur.

4. Ostendit nullum adesse *signum voluntatis* eum accusandi, 2. Rh. 25. §. 22.

Ego equidem tam te defendo, quàm me scio à te contra iniquos meos solere defendi. Suntne hæc signa iniqui in te animi?

Hinc

Hinc respondet ad secundam Matii *intentionem*, de curatione quippe ludorum in honorem Cæsaris. Matius rectè se putabat fecisse, hoc fortè nixus argumento:

Amicus post mortem etiam diligendus est & magnifaciendus,
Cæsar fuit amicus meus. E.

Cicero dicit, in utramq; partem de Matii pietatis officio disputari posse, ita, ut laudari mereatur *ejus fides & humanitas, qui amicum etiam mortuum diligat*, quod ἠθικὸν est, & *benevolentiam* sibi ejus conciliat, sed statim ἔνστασιν quandam adjicit, 2. Rh 25. §. 1. adserens, falsum aliquid pro vero sumi, libertatem nimirum patriæ vitæ amici esse anteponendam, id quod *prudentiæ* est.

Sub finem epistolæ *amorem* suum erga eum testatur è 2. Rh. c. 4. §. 18. Τοὺς ἐπαινοῦντας τὰ ὑπάρχοντα ἀγαθὰ καὶ τούτων μάλιστα, ἃ φοβοῦνται μὴ ὑπάρχειν αὐτοῖς. *Amant eos, qui laudant bona, quæ in ipsis insunt, & ex iis ea maximè, quæ ipsi, ut insint*, (ut enim pro ne vertendum censeo) *verentur.*

Illa verò duo, quæ maxima sunt laudum tuarum, quis aut libentius, quàm ego, commmemorat, aut sæpius? te & non suscipiendi belli civilis gravissimum autorem fuisse, & moderandæ victoriæ? &c.

De Elocutione.

In *Elocutione* verba aptam habent compositionem & condecentiam, sententiæ gravitatem, florentiores metaphoræ ornatum, figuræ, inprimis crebra illa interrogationis iteratio, pro rei, de qua agitur, natura, magnam asseverationem, probationem, & affectus contestationem. Quæ ergo periodicè, quæ verò citra flexum naturali orationis genere nunc incisim nunc

membratim ſint collocata, ea harum rerum ſtudioſus adoleſcens ſua ſponte facilè animadvertet.

C. Matius M. T. Ciceroni S. P. D.

(ep. 28. l. 11.)

X.

Magnam voluptatem ex tuis literis cepi, quòd quàm ſperaram, atq; optaram, habere te de me opinionem, cognovi. De qua etſi non dubitabam, tamen, quia maximi æſtimabam, ut incorrupta maneret, laborabam. Conſcius autē, mihi eram, nihil à me commiſſū eſſe, quod boni cujuſquam offenderet animum. Eò minus credebam, plurimis atq; optimis artibus ornato tibi temerè quicquam perſuaderi potuiſſe, præſertim in quem mea propenſa, & perpetua fuiſſet, atque eſſet benevolentia. Quod quando, ut volui, ſcio eſſe, reſpondebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, tua ſingulari bonitate, & amicitia noſtra ſæpe reſtitiſti. Nota enim mihi ſunt, quæ in me poſt Cæſaris mortem contulerint. Vitio mihi dant, quod mortem hominis neceſſarii graviter fero, atque eum, quem dilexi, periiſſe indignor. Ajunt enim patriam amicitiæ præponendam eſſe: perinde ac ſi jam vicerint, obitum ejus reipublicæ fuiſſe utilem. Sed non agam aſtutè. Fateor me ad iſtum gradum ſapientiæ non veniſſe. Neque enim Cæſarem in diſſenſione civili ſum ſecutus, ſed amicum, quanquam re offendebar, tamen non deſerui: neque bellum unquam civile, aut etiam cauſam diſſenſionis probavi, quàm etiam naſcentem extingui, ſummè ſtudui. Itaq; in victoria hominis neceſſarii neq; honoris, neq; pecuniæ dulcedine ſū captus. Quibus præmiis reliqui minus apud eum, quàm ego, cùm poſſent immoderatè ſunt abuſi. Atq; etiam res familiaris mea, lege Cæſaris diminuta eſt: cujus beneficio pleriq;, qui Cæſaris morte lætantur, remanſerunt in civitate. Civibus victis ut parceretur

tur

tur, æquè, ac pro mea salute, laboravi. Possum igitur, qui omnes voluerim incolumes, eum à quo id impetratum est, periisse non indignari? cùm præsertim iidem homines illi & invidiæ, & exitio fuerint. Plectêris ergo, inquiunt, quando factum nostrum improbare audes. O superbiam inauditam: alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunè licere. At hæc etiam servis semper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent suo potius, quàm alterius arbitrio. Quæ nunc, ut quidem isti dictitant, libertatis autores metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt. Nullius unquam periculi terroribus ab officio, ab humanitate desciscam. Nunquam enim honestam mortem fugiendam, sæpe etiam appetendam putavi. Sed quid mihi succensent, si id opto, ut pœniteat eos sui facti? Cupio n. Cæsaris mortem omnibus esse acerbam. At debeo pro civili parte rempublicam velle salvam. Id quidem me cupere, nisi & antè acta vita, & reliqua mea spes, tacente me, probat, dicendo vincere non postulo. Quare majorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: mihiq; si sentis expedire rectè fieri, credas, nullam communionem cum improbis esse posse. An quod adolescens præstiti, cùm etiam errare cum excusatione possem: id nunc ætate præcipitata commutem, ac me ipse retexam? Non faciam: neq; quod displiceat, committam, præterquã quòd hominis mihi conjunctissimi, ac viri amplissimi doleo gravem casum. Quòd si aliter essem animatus, nunquam quod facerẽ, negarem, ne & in peccando improbus, & in dissimulando timidus, ac vanus existimarer. At ludos, quos Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit, curavi. At id ad privatum officium, non ad statũ reipublicæ pertinebat. Quod tamen munus, & hominis amicissimi memoriæ, ac honoribus præstare, etiam mortuo, debui, & optimæ spei adolescenti, ac dignissimo Cæsari petenti negare non potui. Veni etiam consulis Antonii sæpe domum salutandi causa: ad quem, qui me parum patriæ amantem esse existimant, rogandi quidem aliquid aut auferendi causa, frequentes ventitare reperies. Sed

quæ hæc est arrogantia, quòd Cæsar nunquam interpellavit, quin, quibus vellem, atq; etiam quos ipse non diligebat, tamen iis uterer: eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me, efficere conari, ne quos velim diligam? Sed non vereor, ne aut meæ vitæ modestia parum valitura sit in posterum contra falsos rumores: aut ne etiam ii, qui me non amant, propter meam in Cæsarem constantiam, non malint mei, quàm sui similes amicos habere. Mihi quidem si optata contingerent, quod reliquum est vitæ, in ocio Rhodi degam: sin casus aliquis interpellârit, ita ero Romæ, ut rectè fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas gratias ago, quòd tuum erga me animum simplicem, atq; amicũ aperuit: & quòd eum, quem semper dilexi lubenter, quò magis jure colere, atq; observare deberem, fecit. Bene vale, & me dilige.

Analysis Rhetorica.

De Inventione.

ELicuit Cicero antecedente sua excusatione & obliqua reprehensione hanc à Matio epistolam sanè egregiam, in qua ille ita respondet, ut non tam adversus Ciceronem, quàm vituperatores suos sese purget.

Status epistolæ est *juridicialis.*

Jure mortem Cæsaris ægrè fero, nec sum propterea reprehendendus.

Exordium est ἠθικόν.

Propositio: Respondebo criminibus &c.

Confutationis argumenta sunt hæc:

Objecerant adversarii:

Cujuscunq; mors Reip. est utilis, is non est diligendus.

Cæsaris mors Reip. est utilis. E.

Matius respondet (1) inficiatione minoris:

Proinde ac si jam vicerint, obitum Cæsaris Reip. fuisse utilem.

(2) Di-

(2) Distinctione prædicati majoris, quod est, *diligendus*, (verbum *sequi* hic eandem vim habet) 2. Rh. 23. §. 33. ἐκ τοῦ πλεοναχῶς.

Neq; enim Cæsarem in dissensioni civili sum secutus, (eo scil. animo, ut foverem discordiam civilem) *sed amicum, quanquam offendebar re* (ipsa discordia) *tamen non deserui. Neq; bellum unquam civile aut etiam causā dissensionis probavi, quam etiam nascentem exstingui summè studui.* Quæ omnia *signa* sunt boni erga Remp. animi. 1. Rh. 9. §. 16.

His attexit *moratam orationem*, quod in victoria Cæsaris *neq; honoris neq; pecuniæ dulcedine se capi sit passus, quibus tamen præmiis reliqui immoderatè sint abusi.* Indicat scilicet conformationem & moderationem continentiæ & temperantiæ suæ. Quæ sunt *virtutis signa* 1. Rh. 9. §. 16. *Amamus autem temperantes*, (σώφρονας) *quia se injuriis abstinent.* 2. Rh. 4. §. 13.

Jam *placare* adversarios nititur ex 2. Rh. 3. §. 23. *Placamur cum iis, cui irascebamur, in majus aliquod malum incidit, quàm nos ipsi ei adferre voluissemus.*

Atq; etiam res familiaris mea lege Cæsaris deminuta est, cujus beneficio pleriq;, qui Cæsaris morte lætantur, remanserunt in civitate.

Et ex §. 4. *Lenes sumus erga eos, qui ipsi in se tales sunt.* Cum idem quis facit, quod alium vult facere, tollitur opinio ὀλιγωρίας, hac sublata, cessat ira.

Civibus victis ut parceretur, æq; ac pro mea salute laboravi.

Hinc *iræ* affectum ipsus induere incipit. *Oritur iste, quum quis aut nos, aut nostrorum quempiam immeritò parvi fecisse* (incommodasse) *videtur* 2. Rh. 2. §. 1.

Possum igitur, qui omnes voluerim incolumes, eum, à quo id impetratum est, periisse, non indignari? cum præsertim iidem homines illi (Cæsari) *& invidiæ & exitio fuerint.*

Ob-

Objecerant porro adversarii:

Quicunq; cædem Cæsaris à nobis factam improbare audet, is est plectendus,

Tu Mati cædem Cæsaris improbare audes. E.

Ad hoc argumentum respondet Matius, se neq; probare neq; improbare quidquam, sed tantum mortem Cæsaris dolere, *iram* interim suam quam interfectoribus Cæsaris debebat, minimè reticens, 2. Rh. 2. §. 40. κ̓ τοῖς ἐπιχαίρουσι ἀτυχίαις, *Irascimur iis, qui infortuniis ipsorum lætantur.*

O Superbiam inauditam, alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impune licere.

Amplificationis causa subjicit argumentum ἐκ τοῦ ἧττον. *Ex eo quo minus.* 2. Rh. 23. §. 14.

Si servis semper liberum fuit, timere, gaudere, dolere suo arbitrio. E. *& nobis &c.*

Huic subjungit iterum *moratam orationem*, quando *nunquam ullius periculo* dicit se velle *ab officio & humanitate desciscere, nunquam honestam mortem fugiendam* putans *sæpe etiam appetendam*. Quæ verba tum *constantem* Matii in Cæsarem *animum* tum *prudentiam* etiam ostendunt. Sunt illa *virtutis signa*. 1. Rh. 9. §. 16.

Pergit ad aliam accusatorum objectionem:

Quisquis bonus civis vult esse, is Remp. pro civili parte velle salvam debet.

Tu Mati bonus civis vis esse, E.

Matius concedit argumentum, & se ita erga Remp. animo affectum semper fuisse, probat ex ante acta vita, *virtutis* quippe suæ clarissimo *signo* 1. Rh. 9. §. 16.

Id quidem me cupere — esse posse.

Amplificat ἐκ τοῦ ἧττον.

Si adolescens omnia Reip. præstiti, cum etiam errare cum excusa-

cusatione possem, id nunc ætate præcipitata minimè commutabo, neq; me ipsum retexam.

Adjicit ἦθ☉ *probitatem & prudentiam* spirans:

Quod si aliter — vanus existimarer.

Objectabant amplius adversarii:

N. bonus civis curat ludos Reip. hosti,
Matius curat ludos Reip. hosti. E.

Matius respondet (1) distinctione prædicati majoris, curationem scil. ludorum aliam esse publici, aliam privati officii: hanc suam ad statum Reip. minimè pertinere, sed privati duntaxat esse muneris. Aristoteles vocat ἐκ τοῦ ποσαχῶς. *Ex varia & multiplici vocis alicujus significatione.* 2. Rh. 23. §. 33. (2) *æquitatem* adducit 1. Rh 13. §. 24. Ἐπιεικές ἐστι τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον λόγον δίκαιον. *Æquum & bonum est jus quoddam scriptâ legé prætermissum.*

Summa æquitas dictabat, *ut munus hoc hominis amicissimi memoriæ ac honoribus præstare etiam mortui debuerim.*

(3) Utitur quadam *remotione*, *colorem* seu probabilem facti causam foris assumens:

Optimæ spei adolescenti (Octavio) *ac dignissimo Cæsare petenti negare non potui.*

Postremò & ita criminabantur accusatores:

Quisquis domum Antonii consulis sæpe ventitat, is non est patriæ amans habendus.
Tu Mati domum Antonii sæpe ventitas. E.

Respondet Matius ἐκ τῶν εἰρημένων καθ᾽ αὐτοὺς πρὸς τοὺς εἰπόντας. *Ex iis, quæ in nos dicta sunt, adversus illos ipsos, qui dixerunt* (fecerunt) *argumentari.* 2. Rh. 23. §. 24.

Vitio id mihi datis & culpæ, quod Consulis Antonii sæpe domum salutandi causa veniam, cùm vos rogandi aliquid aut auferendi causa frequenter ventitetis.

De-

Deinde tuetur se *exemplo* ipsius Cæsaris. 1. Rh. 2. §. 48. & 2. Rh. 20. §. 3. & seq. ὅμοιον πρὸς ὅμοιον.

Cæsar nunquam interpellavit (impedivit) *quin, quibus vellem, atq; etiam quos ipse non diligebat, tamen iis uterer.* E. *nec adversarii debent impedire, & me carpendo efficere conari, quin, quos velim diligam.*

Claudit epistolam *morata oratione, modestiam & constantiam* spirante 1. Rh. 9. §. 6 & 16. & gratias agit Trebatio, quod Ciceronis animum sibi aperuerit.

De Elocutione.

E*Locutio* quam φράσιν Græci & λέξιν vocant, spectari potest verbis aut singulis aut conjunctis. Singula si intueamur, deprehendimus esse Latina, perspicua, ornata, & ad id, quod efficere Matius voluit, accommodata. Insitatiora tamen videri queant *invidia esse alicui, alterius* indefinitè pro *alius*, *ab humanitate desciscere* pro *decedere*, *ætate præcipitata* pro *ingravescente*, *ipse me retexam*, pro *alium me faciam*, *interpellare* pro *impedire*. Venustæ interim sunt metaphoræ: *extorquere libertatem alicui*, *dulcedine pecuniæ capi*, *ad sapientiæ gradum pervenire*, *animum cui suum aperire &c.* Conjuncta verba partim membratim procedunt, partim exhibent λέξιν εἰρομένην, quia commata colaque naturali ductu sine artificio connectuntur. Periodi tamen magis conspicuæ sunt:

De qua etsi —— *laborabam*, Δίκωλος, cujus ἀπόδοσις propter ἐπένθεσιν est sinuosa.
Conscius —— *benevolentia.* Duæ Τρίκωλοι solutiores.
An quod —— *retexam.* Τρίκωλος.
Quod si aliter —— *existimarer.* Τρίκωλος.
Nihi quidem —— *degam.* Δίκωλος.
Sin casus —— *cupiam.* Τρίκωλος. &c.



FINIS.

